BAYERISCHE AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN
Veröffentlichungen der Kommission für die Herausgabe ungedruckter Texte
aus der mittelalterlichen Geisteswelt
Band 4

Walter Burley's Treatise
DE FORMIS

VON
FREDERICK J. DOWN SCOTT

MÜNCHEN 1970
VERLAG DER BAYERISCHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN
In Kommission bei der C. H. Beck'schen Verlagsbuchhandlung München

BAYERISCHE AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN

Veröffentlichungen der Kommission für die Herausgabe ungedruckter Texte aus der mittelalterlichen Geisteswelt

Band IV

Walter Burley's Treatise
DE FORMIS

VON

FREDERICK J. DOWN SCOTT

MÜNCHEN 1970
VERLAG DER BAYERISCHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN

IN KOMMISSION BEI DER C.H. BECK'SCHEN VERLAGSBUCHHANDLUNG MÜNCHEN

ISBN 3 7696 9004 4

Druck: Gebr. Parcus, München
Printed in Germany

INHALTSVERZEICHNIS

Preface 1

Pars Prior 7

Articulus Primus 15

Articulus Secundus 17

Articulus Tertius 19

Difficultates 32

Pars Posterior 49

[PREFACE]

Walter Burley's *De Formis* has never appeared in print. This edition of his important work was prepared from four manuscripts: London, Lambeth Palace 70 (membr. XIV) fol. 125ra–134vb; Oxford, Bodleian Add. A. 370 (S. XV) fol. 144^{r}–166^{v}; Vatican, Vat. Lat. 2146 (XIV) fol. 235^{r}–244^{v}; Vatican, Vat. lat. 2151 (XV) fol. 131rb–148ra. Vatican 2146 (afterwards Va.) was the first MS. consulted for this edition*. It is very legible but a number of important omissions and mistakes occur in it. Vatican 2151 (Vb.) is a very inferior MS., because there are so many omissions in it. The best preserved MS. is Lambeth Palace (L.). It seems to have been compared with other MSS., because a number of missing words or phrases have been inserted in the columns. Also in the columns are short summaries of the main points and divisions of the text to guide the reader and perhaps also to serve the lecturer. Bodleian (B.) is helpful, because a very large and clear script was used. Unfortunately, about 1500 consecutive words are missing in one big gap in the latter part of the text. This present edition of Burley's text can claim to be critical to the extent that four manuscripts, the only ones known to the editor, were consulted and compared. The confidence is here expressed that, if in the future any other MS. should show up, it would only confirm the readings of this edition.

The text is made up of two treatises, whose contents are so different in general that one wonders why they were both included under the same title. A brief summary of each will illustrate this point and also serve to alert the reader as to the main points of the text. Following the lead of Anneliese Maier (*Codices Vat. Lat.*, Vatican City Library, 1961, p. 63) reference will be made to these two treatises as *Pars Prior* and *Pars Posterior*.

In *Pars Prior* Burley begins by treating prime matter as most remote matter which is divided into being in subjective potency and being in objective potency (the latter so-called by the Theologians).

---

* The editor wishes to thank his colleague, Dr. Herman Shapiro, for his help with Vatican 2146. A Grant from the San Jose State College Research Foundation to support this project is also gratefully acknowledged.

Next is treated the meaning of the statement that prime matter is one in number. There follows the difference between substantial form, as perfecting matter and not as stating the quiddity of the composite, and accidental form. The first difference is that only substantial form *dat esse simpliciter*. The second difference is that substantial form immediately perfects matter, whereas accidental form immediately perfects the composite. It is at this point that Burley comes to the defense of Averroes' opinion that indeterminate dimension and the potency of matter were always in matter and yet are accidents, so that some accidents are immediately in prime matter. This requires an interpretation of Averroes' teaching that prime matter is 1) *de se non-ens*; 2) privation is in prime matter *de se*; 3) prime matter is a medium between *ens* and *non-ens*. Against the interpretation of Averroes' formula: *recipiens debet denudari a natura recepti secundum speciem, non autem secundum genus*, Burley proves in three articles that 1) two real forms of the same species can be together in the same subject; 2) a real form can be together with the intention of the same form according to species in the same subject; 3) diverse intentions of forms of the same species can be together in the same subject. In the light of these three theses the proper interpretation of Averroes' formula is that it is in general to be understood concerning all forms which are incompatible in being, whether they differ in species or genus. What forms in particular are incompatible is shown in response to the three articles. After this there is a summary. However, five difficulties arise against the statement in the first article that in the same matter diverse substantial forms, educed from the potency of matter, cannot be together. This does not seem to be true, because 1) there are many substantial forms in man; 2) there seem to be three souls in man; 3) indeterminate dimension is in prime matter and, as an accident, requires a subject composed of prime matter and its eternal inseparable substantial form in addition to another form induced by generation; 4) in every perfect mixture there seem to be five substantial forms; 5) another substantial form makes matter appropriate to each specific form. Replies are made to these difficulties treating difficulty four before three. Finally, the treatise ends with a discussion of accidental forms, in particular with the topic of the reality of relations. This latter topic would have to be considered in determining Burley's position on universals.

Pars Posterior is a treatise on quantity and is in the main directed

against the opinion of those (most likely Ockham in particular) who hold that quantity is not really distinct from corporeal substance and extended quality. Burley, however, holds that body of the genus quantity has of itself depth (*profunditas*). Body of the genus substance is the adequate subject of the former and really distinct from it. This is illustrated in the Sacrament of the Altar according to the Faith. To the suggestion that thus quality could also be called a body, Burley replies that only quantity is primarily and of itself extended and what is immediately after it, i.e., substance. It would not be wrong to call quality a body, though it is not in common usuage to say this. This appeal to common usuage makes Burley very contemporary. Further, the objection that substance and quantity would be two bodies in the same place is refuted by holding that only two bodies of the genus quantity cannot be in the same place. Body of the genus substance does not have its own depth, else it could not be together with body of the genus quantity. Substance and quantity are two *corpora* and two *profunda* but do not have two depths (*profunditates*) nor *corporeitates*. The same numerical depth denominates both in the plural number. Also, quality cannot of itself be extended and so a corporeal quantity, because it is together with substance in the same place. If quality were a *quantum*, as divisible, it could not be in the same place as substance.

Against the fundamental reason of the opponents, i. e., that God can make a corporeal substance without corporeal quantity and make the substance remain in the same place, Burley argues that God can do this but not in the same place, because without quantity the substance would not be in the place *circumscriptive*, since it would not have part outside of part. This leads Burley to raise three doubts as to how quantity has parts of itself. The first reason is that it would not be a *unum per se* unless one part was potency and the other act. But, there is no more reason why one part of quantity rather than another should be in potency to the other. Second, lines and surfaces are parts of a body of the genus quantity, yet they differ in species and are form. Third, substance denuded of all its accidents, if divisible, would be a quantity. If it has parts, then it would be a *totum* and every *totum* is greater then its parts and every thing greater is a *quantum*.

In reply to the first doubt Burley says that the formula holds only for things specifically diverse. If the parts were heterogeneous, they would form a unity only if in potency to a third thing as act, as the

soul in man. In reply to the second doubt he maintains that quantity has width and length as terms but not as parts. In reply to the third doubt, apart from the very interesting remark that a man existing denuded of all his accidents would not be a *homo physicus* but by a miracle could be a *homo metaphysicus*, Burley admits that every whole is a greater but denies the converse. A certain whole could be entitatively greater than its parts, though not quantitatively greater and so not be a *quantum*.

Next, the question is raised whether quality, as color, is extended according to three dimensions or only according to surface. Burley argues for the former opinion; otherwise contraries would be together. He interprets a gloss on Aristotle that color is the *extremitas perspicui* by saying that the body and its color only appear according to the extremity. The long example dealing with tincture, as a counter argument, is handled by the important distinctions between alteration and superposition, between mixture according to parts (mixture of positions) and according to the whole, between intrinsic and extrinsic denomination.

Finally, Burley holds that in any continuum it is impossible that an indivisible be immediately next to an indivisible. For example, only the continuing surface between two surfaces is actual with the actuality of presence and existence and in potency only to the act of division according to the imagination. The surfaces, as parts, are not such. The text ends with the curious addition of a definition of intention.

The puzzle of the inclusion of two such different treatises under one title is heightened by the following considerations: 1) a number of the same texts of Aristotle and the arguments derived from them occur in both parts without any cross-reference; 2) the theory of the remission and intensity of forms is mentioned in both parts without cross-reference; 3) with regard to the statement of Aristotle that the intellect is *de foris*, it is said in *Pars Prior* that *videtur postea* that the expositors interpret this to mean from God, but this exposition does not occur in *Pars Posterior*. Also, in *Pars Posterior* we read *ut visum est supra in divisione potentie* but this is not found in *Pars Prior*.

In fact, our present problem seems to be part of a still larger problem: what in fact was originally the contents of *De Formis?* A few remarks will indicate this problem, which needs more searching for the answer. Towards the end of *Pars Prior* we read: a proposition is not changed from truth to falsity unless by a change of the thing, *ut patet*

ex predictis capitulo de substantia. This chapter does not appear in *Pars Prior.* Does it then indicate that another treatise was included originally in *De Formis* or is this a reference to another work altogether? Further, the Bodleian MS., fol. 143r–144r, under the superscript *Burleus de formis,* begins with a treatise on exclusive propositions. However, since none of the other MSS. have this treatise, one may wonder whether this is a later addition by some librarian or part of the original *De Formis.* Next, preceeding *De Formis* in Vatican 2151, fol. 127r to 131r, occurs the [*Tractatus alter de universalibus*] under the title *G. Burlei de formis.* This raises the same problem as just mentioned. However, Anneliese Maier (*op. cit.*, p. 82) questions the authenticity of this work, whether it was even written by Burley. Finally, *Pars Posterior* ends with a definition of intention which has nothing to do with the subject matter of quantity. It again might be argued that this section has crept in by an error of a later hand, although all four MSS. have this final section.

The division of the text into sentences, paragraphs, articles, difficulties and parts is wholly the work of the present editor. These additions are meant to ease the reading of the text. A more modern script has been followed, for example, reading *actio* for *accio, nihil* for *nichil.* Terms and phrases, which Burley cites, have been set off by quotation marks. References to the text of Aristotle and others, cited by Burley, have been supplied in the footnotes. A distinct set of footnotes has been used for each Part.

[PARS PRIOR]

Notandum quod materia prima est materia remotissima respectu cuiuscumque compositi ex ea et talis materia reperitur in quolibet composito ex materia et forma, quod patet sic: materia prima est illud quod non est resolubile in materiam et formam sed est omnino simplex propter carentiam omnium formarum de sua natura et de sua substantia, ita quod ipsa in sui natura intrinseca nullam formam includit, licet numquam sit sine forma. Sed in omni composito ex materia et forma est devenire ad talem materiam omnino simplicem irresolubilem in materiam et formam, quod potest declarari exemplariter in omnibus. Verbi gratia: denarius est quoddam compositum ex forma artificiali et ex argento tamquam ex materia. Quero tunc: aut argentum est materia simplex aut est compositum ex materia et forma. Si sit omnino simplex, tunc esset materia prima, quod falsum est. Si sit compositum ex materia et forma, tunc quero de sua materia: aut est omnino simplex in sua natura aut est compositum. Si sit omnino simplex, tunc est materia prima, et habetur propositum, scilicet, quod in denario est aliqua materia omnino prima[1]. Si autem materia argenti sit composita ex materia et forma, querendum est de sua materia sicut prius et sic procederetur in infinitum sicut prius, quod est inconveniens vel tandem deveniretur ad materiam omnino simplicem que non est resolubilis in materiam et formam et illa est materia prima et ita contingit arguere de quolibet alio composito ex materia et forma probando quod in illo est materia prima.

Et sciendum est quod materia prima dicitur ens in potentia. Et sciendum est quod potentia, quantum ad propositum, est duplex, scilicet, potentia que est principium entis et hec dicitur potentia subiectiva. Alia est potentia que dicitur differentia entis et hec vocatur a Theologis potentia obiectiva. Potentia subiectiva[2] est illa que existit in rerum natura et est in potentia ad recipiendam formam et ita ut sit subiectum forme et ideo dicitur potentia subiectiva, quia potest esse subiectum forme. Et dicitur principium entis, scilicet, entis compositi, quia ex illa

---

[1] et habetur propositum ... prima, *om.* Vb.

[2] potentia subiectiva, *om.* Va.

et forma constituitur compositum tamquam ex principiis. Et isto modo paries dicitur esse in potentia respectu albedinis et argentum in potentia respectu denarii, quia potest suscipere formam denarii et ex illa et forma denarii potest fieri unum, scilicet, denarius. Et breviter omnis materia sive sit simplex sive composita, que potest aliquam formam recipere, dicitur ens in potentia subiectiva.

Sed materia prima est in pura potentia subiectiva, quia nullam formam in sua natura habet. Sed materia composita non est in pura potentia subiectiva[3], quia aliquam formam in sua natura includit, ut patet in argento et ligno.

Ens in potentia obiectiva dicitur illud quod nunc non existit sed est in potentia ad existendum, sicut Antichristus et talis in potentia obiectiva dicitur pro eo quod potest esse terminus actionis agentis. Agens enim intendit producere terminum sue actionis, ita quod terminus actionis agentis est obiectum intentionis[4]. Verbi gratia: edificator intendens facere domum habet domum pro obiecto intentionis sue et lapides et ligna pro obiectis operis, quia[5] operatur circa illa.

Ex predictis patet quod aliter est Antichristus in potentia et aliter argentum ad formam denarii, quia Antichristus est sic in potentia quod non existit sed potest existere. Sed argentum actu existit et solum est in potentia, quia potest recipere. Unde, Antichristus est in potentia obiectiva et argentum in potentia subiectiva. Unde potentia obiectiva est in potentia existere et potentia subiectiva est in potentia ad formam.

Circa materiam primam est sciendum quod ipsa dicitur esse una numero in omnibus generabilibus et corruptibilibus quod non est sic intelligendum quod eadem materia numero esset simul in omnibus generabilibus et corruptibilibus. Quia, si sic, eadem materia esset simul sub forma ignis et sub forma aque et sub forma terre et ita in eadem materia numero essent simul forme contrarie in summo, scilicet, caliditas in summo et frigiditas in summo, quod est impossibile.

Similiter, sequitur quod eadem materia numero simul esset sub aliqua forma secundum speciem et transmuteretur ad eandem sub eodem gradu. Nam, si ex aere fiat ignis, materia que est sub forma aeris[6] transmuteretur ad formam ignis et eadem materia numero esset sub forma

---

[3] quia nullam formam ... subiectiva, *om.* Vb.

[4] ita quod terminus ... intentionis, *om.* B.

[5] operis quia, *om.* L.

[6] materia que est forma ignis aeris, Va.

ignis sub eodem gradu ignis et ita aliquid idem numero transmuteretur ad formam quam actu habet, quod est impossibile. Item, idem numero simul moveretur et quiesceret, quia eadem materia numero esset simul in corpore moto et quiescente. Similiter, eadem materia numero secundum se totum esset hic et Rome, quia tota materia que est sub forma mea esset sub forma alterius existentis Rome.

Ideo intelligendum quod illud commune dictum: „eadem est materia numero omnium" habet sic intelligi: quod eadem materia numero est successive in omnibus generabilibus et corruptibilibus secundum speciem. Verbi gratia: eadem materia numero, que est sub forma hominis, post mortem hominis erit sub forma cadaveris et postmodum sub forma terre et postmodum sub forma rei producte ex illa, ut sub forma herbe vel aque et postea sub forma alterius generati ex illis et sic secundum circulum. Et hoc est quia omne corruptibile corrumpitur et quia nihil corrumpitur immediate in aliquid eiusdem speciei. Ideo, cum species rerum generabilium et corruptibilium sunt finite, oportet quod fiat generatio circularis in infinitum, secundum Philosophum secundo *De Generatione*[7].

Sciendum tamen quod, quamvis materia prima non sit eadem numero simul in omnibus generabilibus et corruptibilibus, tamen ipsa est eiusdem rationis seu nature in omnibus talibus, quia est simplex nullo modo resolubilis in materiam et formam.

Et si queratur quomodo materia prima, que est sub una forma, distinguitur a materia prima que est sub alia forma, videtur enim quod materia que est sub forma terre et sub forma ignis distinguuntur specifice, quia omnis distinctio est a forma, sed forma ignis et forma terre differunt specifice, ergo, etcetera, dicendum quod materia sub una forma per se ipsam et non per forman distinguitur a materia que est sub alia forma. Nec est propositio magistralis universaliter vera, scilicet, „quod omnis distinctio est a forma," sed debet sic intelligi: omnis distinctio specifica est a forma[8], sicut distinctio hominis ab asino est per formam hominis, scilicet, per animam intellectivam seu per rationabilitatem. Distinctio vero individuorum sub eadem specie est tam per materiam quam per formam quam etiam per accidentia. Verbi gratia: Sortes distinguitur materialiter per materiam suam a Platone distinctione individuali et formaliter per formam suam et accidenta-

---

[7] *De Generatione et Corruptione*, 336ᵇ25–338ᵇ20.

[8] sed debet intelligi ... forma, *om.* Vb.

liter per accidentia sua. Et ita est triplex distinctio, scilicet, materialis, formalis et accidentalis.

Sciendum quod omne simplex, quod non componitur ex materia et forma, per se ipsum et non per aliud distinguitur a quocumque alio, quia ex quo est omnino simplex non est in eo diversum quod distinguitur ab eo. In simplicibus enim idem est quod et quo. Aliter enim non esset simplex.

Adhuc circa formam perficientem materiam est sciendum quod quedam forma perficiens materiam est substantialis et quedam est accidentalis et inter has formas est duplex differentia. Prima est quod forma substantialis dat esse simpliciter composito cuius est forma. Sed forma accidentalis dat esse secundum quid seu esse tale. Verbi gratia: forma substantialis hominis dat homini esse simpliciter et quod sit homo. Unde nihil est homo, nisi ex hoc quod forma substantialis sua, scilicet, anima intellectiva, perficit suam materiam et quandocumque talis forma perficit materiam, tunc est simpliciter concedendum quod illud est homo, cuius materia perficitur per talem formam. Sed forma accidentalis dat esse secundum quid, ut esse talem vel tantum vel huiusmodi. Verbi gratia: albedo adveniens Sorti non dat Sorti quod habeat esse simpliciter nec quod sit homo, sed solummodo quod sit talis, scilicet, albus et quantitas dat Sorti esse quantum, non esse simpliciter et relatio dat ei quod sit ad aliud et sic de aliis.

Et sciendum quod per esse simpliciter in proposito possum intelligere duo, scilicet, vel per se esse tertio modo ipsius per se, i. e., seorsum existens non innitens alteri vel per esse simpliciter possum intelligere esse sine addito vel secundum adiacens quod est idem. Et utroque modo accipiendo esse simpliciter forma substantialis dat esse simpliciter ei cuius est forma, ut forma Sortis dat Sorti quod sit ens per se seorsum existens non alteri innitens et etiam dat ei quod de ipso verificatur esse dicendo vere quod „Sortes est." Sed forma accidentalis neutrum esse horum dat ei cui accidit.

Secunda differentia inter formam substantialem et accidentalem est quod forma substantialis perficit immediate materiam primam sed forma accidentalis[9] perficit immediate materiam compositam. Et hoc est quod sub aliis verbis dicitur quod forma substantialis advenit enti in potentia et forma accidentalis enti in actu, quod intelligendum est de ente in potentia subiectiva cuiusmodi est materia prima, ut visum

---

[9] perficit immediate ... accidentalis, *om.* Vb.

est supra, et de ente in actu formali cuiusmodi est compositum ex materia et forma. Unde nos possumus sic ymaginari, ymaginando quod corpus hominis est cui immediate adheret camisia et deinde corpori induto camisia adheret tunica et postea secundum ordinem alia indumenta, quod sic est de materia prima cui immediate adheret forma substantialis, deinde composito ex materia prima et forma substantiali advenit quantitas, deinde toti composito ex materia prima, forma substantiali et quantitate advenit qualitas et sic de aliis accidentibus secundum ordinem. Et ita forma substantialis immediate advenit materie prime et sic enti in potentia et forma accidentalis immediate[10] advenit substantie composite et enti in actu.

Sciendum tamen quod exemplum de homine, corpore et vestibus et de materia prima et formis non est omnino simile, quia materia prima simul tempore recipit formam substantialem et quantitatem et qualitatem. Prius tamen natura recipit formam substantialem[11] quam qualitatem vel quantitatem. Et tamen materia prima et forma substantialis, quantitas et qualitas sunt simul in eodem situ adequato sed corpus hominis et vestes hominis non sunt simul adequate. Et ita in duobus est diversitas inter exemplum adductum et inter materiam primam recipiendo formas. Tamen in hoc propter quod adducitur exemplum est simile, scilicet, in hoc quod forma substantialis immediate perficit materiam primam sed forma accidentalis materiam compositam, sicut camisia immediate adheret corpori et tunica toti composito aggregato ex corpore et camisia et sic de aliis vestibus secundum ordinem.

Sed dubium est de dimensione interminata et de potentia materie que secundum Commentatorem primo *Phisicorum* et *De Substantia Orbis*[12] semper fuerunt in materia et tamen sunt accidentia et ita aliqua accidentia immediate insunt materie prime. Sustinendo Commentatorem esset dicendum quod accidentia eternaliter consequentia materiam immediate insunt materie nec huiusmodi accidentia adveniunt materie. Sed quod advenit alicui de novo advenit eidem et ideo differentia data inter formam substantialem et accidentalem intelligitur de forma accidentali adveniente de novo materie. Omnis enim talis forma immediate perficit materiam compositam. Et quod supra dictum est quod forma substantialis primo advenit materie prime, deinde quan-

---

[10] forma accidentalis tam quam exemplum de homine immediate, Va.

[11] prius tamen ... substantialem, *om.* Vb.

[12] *Aristotelis Opera cum Averrois Commentariis* (Venice, 1562–1574) reprinted by Minerva (Frankfurt am Main, 1962), Vol. IV, text 63; Vol. IX, Chap. I.

titas, etcetera, intelligendum est de quantitate terminata. Et sciendum est quod quantitas terminata dicitur quantitas cum certo termino, scilicet, aggregatum ex quantitate, figura, superficiebus et lineis. Sed quantitas interminata[13] est quantitas ut est indifferens ad diversos terminos, scilicet, ad diversas lineas, figuras, et superficies.

Et sciendum est quod hec distinctio non intelligitur de quacumque quantitate sed solum de corporeitate. Nam illa sola de genere quantitatis potest habere diversos terminos intrinsecos, quia potest rarefieri et condensari et ita potest terminari in alia et alia superficie et aliis lineis, quia potest terminari superficiebus maioribus et minoribus; potest et terminari alia et alia figura et quia diversam et diversam formam substantialem secundum speciem consequitur alia et alia extensio, ut patet ex elementis. Nam ex uno pugillo terre fit aqua decem pugillorum et ex uno pugillo aque fit aer decem pugillorum et ita in eadem materia prima maior extensio consequitur unam formam elementorum quam aliam et ita alius terminus quantitatis. Et in mixtis alia figura consequitur formam substantialem unius speciei quam alterius in eadem materia, ut patet. Nam in eadem materia in qua nunc est forma hominis, si in ea inducatur forma asini, quod est possibile per multas transmutationes, habebit aliam figuram quando erit sub forma asini quam habuit quando fuit sub forma hominis et econverso. Et ita patet quod terminus quantitatis consequitur formam substantialem, quia terminus quantitatis varietur secundum variationem forme substantialis. Et ideo bene dicit Commentator in *De Substantia Orbis*[14] quod quantitas terminata consequitur formam substantialem in materia et quod quantitas interminata procedit formam substantialem in materia quod sic habet intelligi: terminus quantitatis consequitur formam substantialem sed ipsa quantitas que est indifferens ad diversos terminos procedit formam substantialem in materia.

Intelligendum est quod per quantitatem interminatam possumus intelligere duo: vel quantitatem carentem terminis vel quantitatem indifferentem ad diversos terminos. Primo modo non est aliqua quantitas interminata, quia tunc esset infinita, cum careret terminis. Secundo modo bene ponitur aliqua quantitas interminata, quia eadem quantitas numero est indifferens ad diversos terminos, sicut eadem cera numero est indifferens ad diversas figuras.

---

[13] dicitur quantitas cum ... interminata, *om.* Vb.

[14] *op. cit.*

Adhuc sciendum est quod terminus quantitatis est duplex. Quidam est eiusdem generis et iste dicitur terminus intrinsecus et sic superficies est terminus corporeitatis et linea terminus superficiei. Omnia ista sunt de eodem genere, scilicet, de genere quantitatis. Alius est terminus quantitatis alterius generis et iste dicitur terminus extrinsecus et sic figura de quarta specie qualitatis est terminus quantitatis et secundum aliquos raritas et densitas, que sunt qualitates, sunt termini extrinseci quantitatis.

Alia est opinio quod omne accidens in istis inferioribus perficit immediate substantiam compositam et illi dicunt quod non est aliqua quantitas eternaliter in materia sed omnis quantitas resultat de novo ex unione forme cum materia et ipsi dicunt quod potentia materie non est accidens sed est idem cum essentia materia et ita negant Commentatorem quantum ad utrum, scilicet, quantum ad quantitatem interminatam et quantum ad potentiam materie.

Sed contra hoc videtur esse ratio. Si enim quantitas non consequeretur materiam sed unionem forme cum materia, tunc ex quolibet habente materiam quantamcumque parvam posset fieri quantumcumque magnum et sic ex uno grano milii posset fieri maximus equus, quod patet esse falsum et consequentia probatur sic. Nam, si quantitas fit a forma, tunc, si ex grano milii fiat ignis, alia quantitas erit maior quantitas quam fuit sub forma grani[15] milii et ex illo igne propter maiorem quantitatem suam possit fieri aliquid multo maius igne, ut equus vel aliquid tale. Unde potest sic argui. Si ex grano milii non posset fieri equus vel aliquid tale valde magnum, hoc non est nisi propter parvam quantitatem grani, scilicet, quia ista quantitas parva non posset esse sub forma equi. Sed hoc non obstaret secundum illam viam, quia, si ex grano milii fieret equus, non maneret eadem quantitas primo sub forma milii et postmodum sub forma equi secundum illam viam, quia quantitas sequitur formam et sic forma equi daret materie prime que fuit sub forma grani quantitatem magnam sufficientem ad formam equi et sic non posset assignari ratio quare non ex quocumque parvo fieret magnum.

Adhuc circa materiam primam est intelligendum quod Commentator dicit quod materia prima de se est non-ens et quod est de se privata forma sive quod privatio inest materie de se et dicit quod materia prima est medium inter ens et non-ens.

---

[15] ignis, Va.

Pro istis est intelligendum pro primo dicto quod non-ens sumitur dupliciter, ut patet de primo *De Generatione*[16], scilicet, pro non-ente simpliciter quod est purum nihil; alio modo pro non-ente in actu, hoc est, quod nec est forma nec includens formam in sua essentia. Primo modo non est concedendum quod materia prima sit non-ens. Nam materia prima est de se actu existens actualitate presentie, cum sit pars subiecti compositi et per se principium eius, ut patet ex primo *Phisicorum*[17] nec intelligit Commentator quod materia prima sit non-ens simpliciter sed quod est non-ens secundo modo, scilicet, non-ens actu, quia nec est forma nec formam includens in sua essentia.

Ad secundum dictum Commentatoris cum dicit quod materia prima de se est privata, est dicendum quod aliquid dicitur inesse alicui de se dupliciter. Uno modo quia est de sua essentia vel necessario concomitans essentiam sicut propria passio subiectum. Et sic materia prima non est de se privata, quia privatio nec est de essentia nec propria passio eius. Alio modo dicitur aliquid inesse alicui de se quod inest sibi circumscripto seu remoto quocumque agente extrinseco dante sibi oppositum illius quod inest ei. Et sic Avicenna sexto *Metaphysice*[18] dicit quod quodlibet causatum de se habet non-esse, quia cuilibet causato inest non-esse remoto quocumque agente dante sibi esse, ut patet. Nam Antichristus nunc habet non-esse, quia nullum fuit nec est agens dans sibi esse et ideo Antichristus dicitur de se habere non-esse propter remotionem agentis dantis sibi esse. Ideo oppositum illius esse, scilicet, non-esse, dicitur inesse Antichristo de se. Et isto secundo modo dicitur materia de se privata forma, quia remoto quolibet agente dante formam materie, materia est privata omni forma et ideo privatio dicitur inesse materie de se, quia inest sibi[19] remoto quolibet agente dante sibi formam, que quidem forma opponitur privationi.

Ad tertium dictum Commentatoris quod materia prima est medium inter ens et non-ens, dicendum quod Commentator intelligit quod materia prima est medium inter non-esse simpliciter quod est purum nihil et inter ens in actu quod est forma vel formam habens de sua natura. Et ens et non-ens isto modo accepta non contradicunt. Sed materia prima est medium per abnegationem inter ista, quia materia prima nec

---

[16] 317^{b} 1–18.

[17] 189^{a} 11–192^{b} 5.

[18] VI, Chap. I (Venice, 1495); reprinted, Louvain, 1961.

[19] remoto quolibet agente ... sibi, *om.* Vb.

est purum nihil nec ens in actu, quia si esset ens in actu, esset forma vel formam habens de sua natura, quod est falsum, cum materia prima sit in potentia ad omnes formas naturales[20].

Intelligendum est quod Commentator primo *Phisicorum* et in *De Substantia Orbis* probat quod materia prima in sua natura nullam formam materialem habet et hoc sic. „Recipiens debet denudari a natura recepti." Sed materia prima recipit omnes formas materiales. Ergo materia prima nullam formam materialem in se habet. Et ex isto loco accipitur illa propositio communis „recipiens debet denudari." Et idem habetur secundo *De Anima*[21] ubi dicit Philosophus quod oculus non est color, id est, nullum colorem habens, quia recipit omnes colores et tertio *De Anima*[22] probat Philosophus et Commentator quod intellectus materialis seu potentialis non est aliqua forma materialis nec in sua natura aliquam formam materialem habens, quia recipit omnes formas materiales et „recipiens debet denudari," etcetera.

Sed circa istam propositionem „recipiens debet denudari" etcetera sunt dubia. Nam intellectus propositionis secundum quod ponit Commentator tertio *De Anima* est iste. Recipiens debet denudari a natura recepti secundum speciem, non autem secundum genus, ita quod habens aliquam formam non potest recipere formam eiusdem speciei nec intentionem seu speciem alicuius forme eiusdem speciei manente priori forma. Et quod sic intelligitur tam de intentione, id est, de specie forme, quam de forma reali patet, quia, si aliqua forma realis posset esse in aliquo subiecto et species seu intentio eiusdem speciei in eodem simul, dictum Philosophi in secundo *De Anima* non esset verum, scilicet, quod oculus denudatur ab omni colore. Ad hoc quod debet recipere species omnium colorum, hoc non esset nisi quia forma realis non potest esse simul cum intentione eiusdem forme simul secundum speciem.

Sed contra illam propositionem et intellectum eius probo primo tria, scilicet, quod due forme reales eiusdem speciei possunt esse simul in eodem. Secundo, quod forma realis potest esse simul cum intentione eiusdem forme secundum speciem. Tertio, quod diverse intentiones formarum eiusdem speciei simul possunt esse in eodem subiecto.

---

[20] quia si esset ... naturales, *om.* B.
[21] 418ᵃ 11–418ᵇ27.
[22] 429ᵃ 15–21; Averroes, *op. cit.*, Supplement II, text 4.

[ARTICULUS PRIMUS]

Primum probatur. Nam in eodem medio possunt esse simul diversa lumina eiusdem speciei, ut patet, quia una candela illuminata in medio causat lumen[23]. Adveniat[24] ergo altera candela illuminata. Illa causabit lumen et non idem lumen quod prius, quia illud est presens a prima candela tamquam a causa sua. Ergo causabit aliud lumen. Ergo sunt duo lumina, etcetera.

Sed fortasse dicetur quod secunda candela non causabit novum lumen sed intendet lumen precedens. Contra: ponatur quod illa luminaria sint equalis virtutis, tunc qua ratione unum causat lumen eadem ratione et aliud. Item, duobus luminaribus illuminantibus medium, si inter illa ponatur corpus solidum potens causare tenebram vel umbram ibi, manifeste apparent due tenebre in eodem medio. Sed alia et alia tenebra opponitur alteri et alteri lumini. Ergo prius in eodem medio fuerunt duo lumina. Item, si una candela extinguatur, tunc non remanet lumen illius candele et remanet lumen alterius candele et non est dicere quod idem simul manet et non manet. Ergo aliud et aliud fuerit lumen unius candele et alterius. Item, moveatur una candela localiter et quiescat altera, utraque illuminante medium, certum est quod lumen causatum a quiescente quiescit et manet idem, quia nec moveretur nec variaretur propter motum luminaris nec propter motum medii seu subiecti. Sed lumen candele mote non manet idem. Nam moto luminari continue causatur ab eo aliud lumen et aliud. Cum ergo non est possibile quod idem simul quiescat et moveat et etiam quod continue varietur et fiat aliud, oportet dicere quod est aliud et aliud lumen aut alia et alia candela.

Et si dicatur quod candela mota potest idem lumen causare nec oportet quod lumen suum sit continue aliud et aliud, contra: nos videmus quod, quia sol continue movetur, ideo continue radius solis est alius, quod patet, quia quiescente subiecto, ut ipso aere, radius solis fit continue in alio situ, et in alia et alia parte aeris. Sed accidens non movetur quiescente subiecto. Ergo radius continue est alius et alius.

Et si dicatur quod non est simile de radio et lumine candele, contra:

---

[23] illuminat medium, Va and L.

[24] candela illuminata in medio illuminat medium adveniat, *om.* Vb.

idem argumentum potest fieri de radio, quia, ponatur aliquod luminare quiescens magne virtutis potens illuminare istam partem medii in qua est radius solis vel lune et probo quod ibi sunt duo lumina, quia lumen radii solis continue est aliud et aliud, quia aliter accidens maneret per se et migraret de subiecto in subiectum, quod est impossibile. Sed lumen luminaris quiescentis manet idem. Ergo est aliud lumen et aliud.

Sed si dicatur quod in isto loco adequato in quo est radius solis vel lune illud aliud luminare non causat aliquod lumen, contra: idem est contra sensum, quia aliquid existens in radio lune non potens videri nec discerni, ut patet de minimo lumine, adveniente alio luminari potest videri et discerni, quod non esset nisi idem aliud luminare causaret aliquod lumen mediante quo existens in loco radii potest videri nunc et prius non.

Ad eamdem conclusionem arguitur. Nam dicentes quod forma augetur seu intenditur per additionem partis ad partem utraque manente, verbi gratia: dicentes quod albedo augetur per hoc quod alia albedo causatur in eodem subiecto remanente albedine priori, ut dicunt Fratres Minores. Habent dicere quod due forme reales, ut due albedines, sunt simul in eodem subiecto adequato. Nam accipiamus subiectum secundum se totum quod secundum se totum transmutatur ad albedinem maiorem. In fine transmutationis illud totum subiectum est sub albedine antiqua et etiam sub nova albedine de novo adquisita per transmutationem et secundum eos diverse forme reales eiusdem speciei sunt simul in eodem subiecto adequato. Istud est argumentum ad hominem, non ad rem, quia creditur[25] quod opinio hominis ista dicentis dicat verum.

Adhuc tertio arguitur ad eandem conclusionem sic. Si duo corpora tangunt se, eorum ultima, scilicet, superficies ultime eorum corporum sunt simul in eodem loco adequato per Philosophum quinto *Phisicorum*[26] qui dicit quod illa tangunt se quorum ultima sunt simul et ultime superficies corporum tangentium se sunt eiusdem speciei, quia ponamus quod corpora tangentia se sint eiusdem speciei, tunc sunt forme reales eiusdem speciei. Ergo diverse forme reales eiusdem speciei sunt simul adequate.

---

[25] quia creditur, *om.* Va, Vb and L.
[26] 226b23.

[ARTICULUS SECUNDUS]

Ad secundam conclusionem quod forma realis et intentio forme eiusdem speciei possunt esse simul, probo primo sic. Unus homo potest videre oculum alterius hominis et accidentia sensibilia illius oculi, quamvis oculus videntis sit simul omnino cum accidentibus in oculo viso, ita quod illi oculi habeant accidentia eiusdem speciei. Sed visio fit per hoc quod intentio sive species rei vise recipitur in oculo. Ergo oculus habens aliquam formam realem vel accidentia que sunt in eo realiter recipit intentionem forme vel formarum eiusdem speciei, scilicet, accidentium alterius oculi.

Et, si dicatur quod visio non est in oculo sed in quodam medio optico iuxta cerebrum, istud non solvit, quia visibile non solum causat speciem sive intentionem suam in organo visus sed in toto medio inter organum visus et rem visam. Sed oculus vel pupilla oculi est medium sinito quod organum visus sit iuxta cerebrum. Ergo, si oculus vel pupilla videatur ab aliquo homine, oportet quod intentio oculi visi vel accidentium eius recipiatur in oculo seu pupilla videntis et sic aliqua forma realis est simul cum intentione forme eiusdem speciei.

Item, ad idem sic. Certum est quod organum visus est quantum, ut patet ex *Sensu et Sensato*[27]. Sed visus videt quantitatem, ita quod intentio quantitatis recipitur in organo visus et organum visus habet quantitatem realem. Ergo habens aliquam formam realem recipit intentionem eiusdem speciei. Et, si dicatur quod quantitas non videtur per propriam intentionem sed per intentionem coloris, sicut nec substantia, contra: aliquis visus potest esse certus de quantitate alicuius rei et incertus de colore eiusdem rei, ut patet de collo columbe et sic de aliis. Similiter, visus potest esse certus quante quantitatis talis res est et esse dubius vel incertus qualis vel cuius coloris est. Sed certum est quod intentio coloris magis inducit in certitudinem coloris quam in certitudinem quantitatis, quia magis representat colorem quam quantitatem. Ergo certitudo que est de quantitate non est per intentionem coloris sed per propriam intentionem quantitatis et per consequens quantitas videtur per propriam speciem.

---

[27] 437ª18–439ª5.
[28] 418ª17–20.

Preterea, per Philosophum secundo *De Anima*[28], magnitudo est per se sensibilis. Sed illud quod est per se sensibile facit propriam speciem in sensu, quia aliter non esset sensibile per se sed per accidens et per aliud et hoc ex Philosopho. Dicit ibidem describendo sensibile per se dicens quod sensibile per se est a quo secundum huiusmodi patitur sensus. A magnitudine ergo secundum quod a magnitudine patitur sensus et per consequens magnitudo facit propriam speciem sive intentionem in sensu; aliter non pateretur sensus a magnitudine secundum quod a magnitudine sed solum pateretur a magnitudine secundum quod est colorata. Cum ergo magnitudo sit quantitas, sequitur quod quantitas facit propriam intentionem in sensu.

Iterum ad idem, forma intensa et remissa sunt eiusdem speciei secundum omnes, quia magis et minus non variant speciem octavo *Metaphisice*[29]. Sed intentio forme intense recipitur in subiecto in quo est forma remissa eiusdem specicei realiter vel secundum esse reale. Ergo, etcetera. Probo minorem. Nam accepto vitro remisse rubeo, si in isto ponitur liquor valde rubens, rubedo illius liquoris videtur per illud vitrum medium inter visum et liquorem. Sed rubedo liquoris multiplicat et diffundit se in toto medio inter visum et liquorem. Ergo in vitro remisse rubeo recipitur intentio rubedinis intense et sic intentio forme magis intense est simul cum forma reali remissa eiusdem speciei.

---

[29] 1044ᵃ10–11.

[ARTICULUS TERTIUS]

Ad tertiam conclusionem probo quod diverse intentiones formarum realium eiusdem speciei possunt esse simul in eodem subiecto adequato, arguitur sic. Et primo probo quod ex parte medii; secundo quod ex parte sensus exterioris; tertio ex parte sensus interioris; et quarto ex parte intellectus.

Primum probo sic. Idem visus potest simul videre duo alba. Ergo utrumque illorum alborum multiplicat se per totum medium usque ad visum. Sed idem est medium inter visum et illa duo alba. Ergo utrumque illorum alborum causat intentionem suam in eodem medio.

Si dicatur quod utrumque illorum multiplicat intentionem suam in alia et alia parte medii, contra: hoc non valet per Commentatorem secundo *De Anima*[30]: omne sensibile multiplicat intentionem suam secundum figuram sphericam, cuius centrum est ipsum subiectum sive ipsum sensibile, si medium sit in omni parte equaliter dispositum nec sit magis impedimentum ex una parte quam in alia. Et veritas huius dicti Commentatoris apparet, quia per equalem distantiam ab ipso sensibili[31] potest ex omni parte in circuiti sentiri, sicut patet de odorabili et de omni sensibili sensus sentientis per extrinsecum medium, cuiusmodi sunt visus, auditus et olfactus. Ponantur ergo duo alba modicum distantia. Utrumque multiplicat se secundum figuram sphericam, ita quod utraque sphera erit secundum aliquam partem sui in alia, quia ponamus quod illa alba non tantum distent quantum est medietas aut quarta pars distantie unius albi a circumferentia sphere sue, tunc certum est quod utraque sphera habebit partem infra partem. Cum ergo utrumque illorum alborum multiplicat se per totam suam spheram, sequitur quod in eadem parte medii omnino erunt intentiones utrorumque illorum alborum ut in tota parte medii que continetur infra descriptionem utriusque sphere.

Item, ponamus quod duo alba visa distent a visu per lineam rectam, ita quod unum distat per totam illam lineam rectam et aliud per[32] aliquam partem illius linee recte, tunc utrumque illorum multiplicat in-

---

[30] *Op. cit.*, texts 79, 80 and 97.

[31] ab ipso sensibili, *om.* B.

[32] ita quod unum ... per, *om.* Va and Vb.

tentionem suam usque ad visum. Oportet quod multiplicent per eandem partem medii, quia per omnem partem per quam album minus distans multiplicat se usque ad visum, album magis distans multiplicat se per eandem partem medii.

Ex parte sensus exterioris arguitur probando quod in sensu exteriori possunt esse simul intentiones diversarum formarum realium eiusdem speciei. Nam idem visus simul et in distantia videt duas albedines. Ergo simul habet intentiones utriusque albedinis. Ergo due intentiones albedinis possunt esse simul in eodem visu. Et si dicatur quod, quia visus est divisibilis, ideo intentio unius albedinis recipitur in una parte visus et intentio alterius albedinis in alia parte visus, contra: illud non solvit, quia ponamus quod intentio unius albedinis occupet seu impleat medietatem visus vel quartam partem et quod intentio alterius occupet partem residuam visus, isto supposito, presentetur visui tertia albedo[33], certum est quod illa distantia videtur a visu, ergo per aliquam speciem sive intentionem et oportet quod illa recipiatur in aliqua parte visus et totus visus est preoccupatus intentionibus albedinis. Ergo illa nova intentio recipitur in aliqua parte visus in qua est alia intentio albedinis et sic due intentiones formarum realium eiusdem speciei erunt simul adequate.

Item, visus potest simul videre album intensius et album remissius obiecta eidem parti visus omnino, ut patet, si distent per eandem lineam secundum magis et minus et visus iudicat unum esse intensius et aliud esse remissius. Sed hoc non potest fieri per eandem speciem, quia per illud in quo conveniunt non iudicat esse diversa. Ergo idem visus per eandem partem iudicat illa esse diversa et per consequens in eodem visu per eandem partem sunt due intentiones albedinis, una albedinis intensioris et alia albedinis remissioris.

Ex parte sensus interioris, scilicet, ex parte virtutis memorative, potest idem probari. Nam virtus memorativa simul habet intentiones diversorum actuum preteritorum eiusdem speciei. Verbi gratia: possum enim habere in memoria simul intentiones multorum actum videndi respectu eiusdem obiecti secundum speciem et etiam multorum actuum disponendi secundum eandem materiam et ille intentiones illorum actuum sunt formarum realium eiusdem speciei, ergo, etcetera.

Et si dicatur quod ille intentiones sunt in alia et alia parte organi virtutis memorative, contra: si ita esset, tunc possent esse tot inten-

---

[33] tertio arguendo, Va and Vb.

tiones quot occuparent et implerent totum organum memorie. Si ergo fiat actus memorie eiusdem speciei notus memoranti, cum possibile sit quod post illum actum recordetur de eodem, oportet quod intentio illius actus simul recipiatur cum intentionibus aliorum actuum eiusdem speciei existentibus in eadem memoria et ita, cum totum organum sit occupatum formis eiusdem speciei, oportet quod illa nova intentio recipiatur in eadem parte in qua est alia intentio eiusdem speciei.

Si dicatur autem quod omnes actus eiusdem speciei habent eandem intentionem in virtute memorativa, contra: omnis intentio representans multa individua eiusdem speciei est universalis in representando. Sed in virtute sensitiva[34], cuius est memoria sensitiva, non est aliqua intentio universalis in representando, quia secundum omnes intellectus est universalium et sensus solum singularium. Ergo in memoria non est aliqua intentio universalis representans multos actus eiusdem speciei.

Item, aliquis habet memoriam distinctam factorum singularium eiusdum speciei. Sed intentio universalis non representat singularia nisi indistincte[35]. Oportet ergo quod sint distincte species in memoria respectu distinctorum actuum singularium. Et confirmatur hoc, quia virtus memorativa distinguit inter actus preteritos eiusdem speciei in diversis temporibus factos. Sed per illud in quo aliqua sunt indistincta non potest aliqua virtus distinguere inter illa, quia id in quo aliqua conveniunt non est principium distinguendi illa ab invicem. Ergo oportet quod in memoria sint distincte[36] intentiones per quas ipsa debet distinguere diversos actus eiusdem speciei.

Quarto probatur eadem conclusio ex parte intellectus, scilicet, quod intentiones diversarum formarum realium eiusdem speciei sunt simul in intellectu et, cum intellectus sit indivisibilis, oportet quod sint simul in eodem subiecto adequato. Quod autem in intellectu sunt simul, etcetera, probatur. Et primo sic. Intellectus distincte cognoscit diversa individua eiusdem speciei. Sed per intentionem indistinctam non cognoscuntur aliqua distincte. Ergo oportet quod in intellectu sint distincte intentiones per quas distincte cognoscuntur distincta individua eiusdem speciei. Et si dicatur quod non oportet quod ibi sint distincte intentiones sed per unam intentionem per diversas adversiones cognos-

---

[34] virtute memorativa, Va, Vb and L.
[35] distincte, Va.
[36] indistincte, Va and Vb.

cuntur distincte diversa individua eiusdem speciei, contra: ille adversiones sunt eiusdem speciei et sunt in intellectu. Ergo diverse forme eiusdem speciei sunt simul in intellectu. Quod autem ille adversiones sunt eiusdem speciei apparet, quia sunt in eodem subiecto adequato et ab eodem agente, scilicet, ab eodem intellectu se advertente ad illa et respectu eorundum obiectorum secundum speciem, scilicet, respectu individuorum eiusdem speciei. Ergo ille adversiones sunt eiusdem speciei et sunt in intellectu, quia causantur ab intellectu et intellectus nihil causat extra se, cum operatio eius sit immanens.

Et, si dicatur aliter quod intellectus non cognoscit diversa individua distincte eiusdem speciei sed solum indistincte, scilicet, in universali, contra hoc arguitur dupliciter. Primo quia intellectus cognoscit differentiam inter universale et singulare. Sed cognoscens differentiam inter aliqua distincte cognoscit extremum differentie, ut patet ex secundo *De Anima*[37] et ex primo *Posteriorum*[38]. Ergo intellectus distincte cognoscit singulare. Confirmatur hoc, quia intellectus distinguens singulare ab universali non distinguit ab universali per intentionem universalem, quia per illam convenit singulare universali. Ergo oportet quod intellectus distinguit singulare ab universali per distinctam intentionem singularem.

Item, secundo sic. Intellectus cognoscit veritatem huius complexi „Sortes non est Plato." Ergo distinguit inter subiectum et predicatum; aliter non asseraret nec iudicaret illam negativam esse veram et per consequens habet distinctam intentionem subiecti per quam distinguit subiectum a predicato et illud est concedendum, scilicet, quod intellectus cognoscit singulare sub propria ratione singularis et per consequens per propriam intentionem individualem. Quod ita sit patet, quia intellectus cognoscit omne contentum sub suo primo et adequato obiecto quod est ens in maxima sua communitate. Sed individuum sub propria ratione individui est contentum[39] sub ente quod est obiectum adequatum intellectus. Ergo intellectus cognoscit individuum sub propria ratione individui.

Sed tunc est dubium, quia Philosophus dicit primo *Posteriorum*[40] quod intellectus est universalium et sensus est singularium et Boecius[41]

---

[37] 429b10–22.

[38] 71a11–28.

[39] sub suo primo ... contentum, *om.* Vb.

[40] 87b38–39.

[41] Migne, *P. L.*, Vol. 64, col. 85.

dicit quod universale est dum intelligitur, singulare dum sentitur. Ergo videtur quod intellectus non cognoscit nisi universale.

Dicendum quod intellectus est universalium cum precisione vel exclusione, aliter tamem et aliter[42], quia intellectus est universalium cum precisione addendo precisionem vel exclusionem intellectus et non universalium. Nam hec est vera: solus intellectus est universalium, quia intellectus et nulla alia virtus cognoscit universalia. Sed hec est falsa: intellectus est solum vel tantum universalium, quia cognoscit singularia, ut predictum est et sic patet qualiter intellectus est universalium. Sed aliter est sensus singularium cum precisione vel exclusione, quia sensus est singularium cum exclusione addendo exclusionem obiecti et non potentie seu ipsius singularis et non sensus. Hec enim est vera: sensus est tantum singularium, quia sensus non cognoscit nisi singularia et hec est falsa: solus sensus est singularium, quia intellectus est singularium. Et hec est sententia Johannis Grammatici super tertiam *De Anima*[43], super illam partem quantum aliud est magnitudo et aliud magnitudinis esse.

Ad dubitationem principalem, quando queritur quomodo intelligitur illa propositio „omne recipiens debet denudari, et cetera," videtur ad presens esse dicendum quod intelligitur generaliter de omnibus formis incompossibilibus in essendo sive sint forme differentes specie, cuius sunt forma hominis et forma asini aut forma lapidis, que differunt secundum genus proprium. Subiectum enim habens unam talem formam non potest recipere aliquam aliam sive sit eiusdem generis sive eiusdem speciei manente forma priori. Et sic loquendo de forma substantiali et maxime secundum ponentes unitatem forme substantialis in uno composito hec propositio „recipiens, et cetera" intelligitur sic: recipiens debet denudari a natura recepti tam secundum genus quam secundum speciem.

Sed qualiter dictum Commentatoris dicentis quod propositio intelligitur de formis eiusdem speciei, dicendum quod intelligitur de formis absolutis realibus eiusdem speciei ad quas est per se motus. Tales enim forme reales eiusdem speciei sunt incompossibiles, cuius ratio est quia nihil movetur nisi de contrario in contrarium[44]. Quia secundum

---

[42] intellectus est universalium ... aliter, *om.* Va.

[43] *Johannis Philoponi In Aristotelis De Anima Libros Commentaria*, M. Hayduck, ed. (Berlin, 1897), 525–529.

[44] quia nihil ... contrarium, *om.* B.

Philosophum quinto *Phisicorum*[45] omnis motus est a contrario in contrarium et id quod contrariatur perfecte alicui forme contrariatur omnibus formis eiusdem speciei. Quia enim nigredo contrariatur uni albedini, ideo contrariatur cuilibet albedini. Si ergo subiectum transmutatur ad aliquam formam ad quam est motus, haberet in se aliquam formam eiusdem speciei cum forma ad quam transmutatur, cum habeat contrarium forme ad quam transmutatur[46], quia omnis motus est a contrario in contrarium, ut dictum est. Cum igitur contrarium forme ad quam transmutatur sit contrarium cuilibet forme eiusdem speciei ad quam transmutatur, sequitur quod in ipso subiecto transmutato non est aliqua forma eiusdem speciei cum forma ad quam transmutatur, quia, si sic, contraria essent simul in eodem. Hec ratio fundatur super duobus fundamentis. Primum est quod omnis motus est a contrario in contrarium. Secundum est quod omne illud quod contrariatur alicui forme contrariatur cuilibet forme eiusdem speciei et ex hiis sequitur quod recipiens aliquam formam per verum motum denudatur ab omni forma eiusdem speciei cum illa forma quam recipit per motum, quia, si haberet aliquam talem formam, tunc habeat contrarium forme ad quam transmutatur et per consequens haberet contrarium cuiuslibet forme eiusdem speciei cum illa. Sequitur quod, si haberet aliquam formam eiusdem speciei cum forma ad quam transmutatur, contraria simul sunt in eodem, quod est impossibile. Et sic patet quomodo dictum Commentatoris intelligitur, scilicet, quod recipiens debet denudari a natura recepti secundum speciem, quoniam hoc debet intelligi universaliter de formis ad quas est per se motus. Omne enim recipiens aliquam formam per motum debet denudari ab illa tota specie illius forme. Sed non est sic de formis que non adquiruntur per motum, cuiusmodi est lumen. Nam, quia lumen non habet contrarium, ideo ad lumen non est motus, quia motus est ratione resistentie vel successio in motu est ratione resistentie. Tenebra, que est sola privatio luminis, non resistit et ideo lumen inducitur subiecto. Et ideo non est inconveniens quod plura lumina sunt simul in eodem subiecto.

Similiter, quia ad relationem non est motus nec relatio est forma absoluta, ideo plures relationes eiusdem speciei possunt esse simul in eodem subiecto. Verbi gratia: idem pater habens multos filios refertur ad illos per diversas paternitates, quod patet. Mortuo uno filio desinitur

---

[45] 225b1–2.

[46] cum habeat ... transmutatur, *om.* B.

illa paternitas qua pater referebatur ad illum et remanet alia paternitas qua refertur ad alium filium. Et sic patet que forme reales eiusdem speciei sunt incompossibiles et que non.

Nunc est secundo videndum an forma realis, distinguendo formam realem contra intentionem que solum est representativa alterius forme eiusdem speciei, posset esse simul cum intentione alterius forme eiusdem speciei et quantum ad hoc videtur esse dicendum quod non repugnat une forme esse simul cum intentione alterius forme eiusdem speciei nec sunt incompossibiles in essendo forma realis et intentio forme secundum speciem sed solum in distinguendo seu ad distinctionem forme cuius est illa intentio. Et non est solum incompossibilitas sic quantum ad distinctionem inter formam et intentionem forme eiusdem speciei sed etiam inter formam et intentiones omnium formarum eiusdem generis proximi et huius ratio est quia omne quod recipitur recipitur et distinguitur secundum naturam recipientis et non secundum naturam recepti. Et ideo lingua infecta[47] sapore amaro non distinguit de aliis saporibus vere secundum quod sunt nec solum secundum saporem quem in se habet, ut patet. Nam habenti linguam infectam[48] sapore amaro omnia apparent amara. Et ideo bene dicit Aristoteles in secundo *De Anima*[49] quod oculus, intelligendo per oculum, organum visus, debet esse non color, id est, carens omni colore, ad hoc quod recipiat omnes colores vere, scilicet, distinguendo ipsos colores, quia, si aliquem colorem in se haberet, secundum illum colorem distingueret de omnibus aliis coloribus.

Sed dubium est de quantitate, ut dictum est supra. Quia organum visus habet quantitatem et tamen recipit intentionem alterius quantitatis distinguendo de aliis quantitatibus. Dicendum quod, supposito quod quantitas cognoscitur per propriam intentionem, tunc est dicendum quod visus non primo recipit speciem quantitatis sed primo recipit intentionem coloris. Et tunc quantum ad illud articulum debet sic intelligi propositio de qua principaliter dubitatur, videlicet, „recipiens debet denudari a natura recepti," hoc est, recipiens intentionem alicuius forme primo realiter debet denudari a natura recepti, hoc est, recipiens intentionem alicuius forme primo et per eam distinguens de forma cuius est intentio debet denudari ab omni forma eiusdem speciei

---

[47] imperfecta, Va.
[48] perfectam, Va.
[49] 418b27.

et eiusdem generis propinqui. Et quia visus non recipit primo intentionem quantitatis, non oportet quod denudetur ab omni quantitate.

Quantum ad articulum tertium est indubitabiliter dicendum quod intentiones formarum realium eiusdem speciei possunt esse simul in eodem subiecto adequato. Et hoc est probatum sufficienter ex parte medii et ex parte sensuum exteriorum et interiorum et etiam ex parte intellectus.

Sic ergo recolligendo omnia dicta circa istam materiam dico quod forma a qua recipiens debet denudari est duplex, scilicet, substantialis et accidentalis. Et accidentalis est duplex, quedam realis et quedam intentionalis.

Dico ergo quod recipiens formam substantialem debet denudari ab omni forma substantiali secundum speciem et secundum genus omnino tam propinquum quam remotum, ita quod recipiendo formam substantialem novam nulla forma substantialis precedens debet remanere in eadem parte materie et illud credo indubitabiliter esse verum de formis substantialibus eductis de potentia materie per transmutationem agentis naturalis, quia nulle tales forme substantiales possunt esse simul in eadem parte materie. Quid autem sit de anima intellectiva, que non educitur de potentia materie sed est de foris, id est, ab extrinseco agente non transmutante materiam secundum Philosophum decimo sexto *De Animalibus*[50] dicentem quod intellectus est de foris, id est, a Deo secundum exponentes vel expositores, videtur postea.

Et quod ita sit de formis substantialibus patet per Commentatorem primo *Phisicorum* et in *De Substantia Orbis* qui dicit quod materia prima denudatur ab omni forma substantiali que est in potentia ad omnes formas substantiales et recipiens debet denudari, etcetera. Et sic patet ex quo debet denudari, videlicet, ab omni forma substantiali secundum speciem et secundum genus, quia qui dicit „omni" nihil excipit. Ratio autem potest esse propter quam due forme substantiales non possunt esse simul, quia, si sic, compositum ex materia prima et ex illis formis esset duo individua eiusdem speciei vel diversarum specierum, quia, si ille forme sint eiusdem speciei, cum utraque constituat individuum, ratione unius erit unum individuum et etiam ratione alterius erit alterum individuum. Verbi gratia: si due forme asinine, ut forme Bandilibyn et Burnelli, essent in eadem parte materie simul, compositum ex illa parte materie et illis formis ratione forme Burnelli

---

[50] *De Generatione Animalium*, 736^{b}28–29.

esset Burnellus et ratione forme Bandilibyn esset Bandilibyn. Et si ille forme sint diversarum specierum, compositum ex materia et ex illis erit duo individua diversarum specierum. Verbi gratia: si in eadem parte materie esset una forma substantialis lapidis et alia ligni, compositum ex materia prima et illis formis ratione forme lapidis esset unus lapis et ratione forme ligni esset unum lignum. Sed hoc est inconveniens. Ergo est inconveniens quod due forme substantiales sint simul in eadem materia adequata.

Item, probatur sic. Si materia prima habens unam formam substantialem reciperet aliam, forma substantialis adveniret composito ex materia prima et forma substantiali et ita adveniret enti in actu, quia materia per priorem formam est ens in actu et sic similiter forma substantialis esset accidens, quia secundum Commentatorem secundo *De Anima*[51] et communem doctrinam philosophicam omnis forma adveniens enti in actu est accidens. Nam secundum Commentatorem secundo *De Anima* hec est differentia inter formam substantialem et accidentalem quod forma substantialis est adveniens enti in potentia et forma accidentalis advenit enti in actu.

Si vero loquitur de forma accidentali reali, aut ergo ista forma est absoluta aut relativa. Si sit relativa, cuiusmodi sunt similitudo, paternitas et huiusmodi, non oportet recipiens denudari a natura recepti nec secundum speciem nec secundum genus. Nam habens paternitatem unam potest de novo generare filium et recipere aliam paternitatem manente paternitate priori. Et album habens unam similitudinem ad aliud album potest recipere novam similitudinem ad aliquod aliud album de novo generatum manente similitudine priori.

Si forma accidentalis sit absoluta, ut albedo, calor, sapor et huiusmodi, aut talis forma potest per se terminare motum vel esse per se terminus motus aut non. Si sic, tunc oportet recipiens denudari a natura recepti secundum speciem et secundum genus. Verbi gratia: recipiens calorem debet denudari alio calore; aliter contraria essent simul, ut probatum est supra. Sed non oportet quod recipiens calorem denudetur a sapore aut a siccitate que sunt forme eiusdem generis cum calore, quia sunt de genere qualitatis. Quod autem forme eiusdem speciei ad quas est per se motus non possunt esse simul in eodem subiecto adequato probatur breviter sic. Subiectum quod transmutatur sive movetur ad aliam formam habet contrarium illius forme et

---

[51] *Op. cit.*, text 4.

per consequens habet contrarium cuiuslibet forme eiusdem speciei cum illa. Si ergo haberet aliam formam eiusdem speciei, haberet in se contraria, scilicet, formam eiusdem speciei cum termino ad quem et contrarium eius forme. Quod autem haberet contrarium forme ad quem transmutatur patet per hoc quod omne quod movetur movetur de contrario in contrarium.

Si vero sit forma accidentalis absoluta que non potest terminare nec esse terminus motus, nihil prohibet multas tales formas eiusdem speciei esse simul in eodem, ut patet supra per argumenta de lumine. Nec ex hoc sequitur quod contraria sint simul in eodem, sicut sequitur ex alio membro, scilicet, ponendo quod forme eiusdem speciei per se terminantes motum possunt esse simul in eodem. Et hoc quia talis forma absoluta non potens terminare motum non habet verum contrarium sed privatum oppositum.

Si autem loquitur de forma et de intentione forme eiusdem speciei, an ille possunt simul esse aut oportet quod recipiens intentionem forme denudetur a tota forma reali, hoc videtur esse distinguendum, quia vel recipiens intentionem forme est solum medium non cognitum forme cuius est intentio vel est natum cognoscere et discernere talem formam cuius est intentio. Primo modo non est impossibile formam realem et intentionem forme eiusdem speciei esse simul in eodem, ut dictum est supra et patet in exemplis superius adductis quorum unum est de pupilla oculi que recipit intentionem pupille omnino consimilis et intentionem accidentium omnino consimilium accidentibus suis ut patet de duobus hominibus habentibus pupillas oculorum omnino consimiles in accidentibus. Unus enim eorum potest videre pupillam alterius et accidentia eius in illa pupilla. Habens aliqua accidentia realiter recipit intentiones eorundem secundum speciem et hoc quia pupilla non est organum visus sed medium in videndo.

Similiter vitrum vas rubeum remisse repletum liquore valde rubeo recipit intentionem rubedinis illius liquoris et tamen habet realiter formam eiusdem speciei cum rubedine cuius intentionem recipit. Quod autem recipit intentionem liquoris patet, quia aliter non posset rubedo liquoris videri per illud vas tamquam per medium, quod falsum est, quia illud quod videtur multiplicat speciem seu intentionem suam per totum medium inter ipsum et virtutem visivam et per consequens per medium vitri.

Si autem recipiens intentionem forme sit virtus cognoscens formam aut instrumentum sive organum virtutis in quo est ipsa virtus cognos-

citiva, etcetera, tunc dico quod recipiens huius intentionis ad hoc discernat et cognoscat formam debet denudari a toto genere formarum realium quarum est cognitio. Cuius ratio dicta est prius, quoniam quod recipitur recipitur secundum naturam recipientis et ideo ad hoc quod distincte cognoscat omnes formas alicuius generis debet denudari ab omnibus formis realibus illius generis et ideo bene dicit Aristoteles secundo *De Anima* quod oculus, intelligendo per oculum organum visus, est non color, id est, nullum colorem habens ad hoc quod recipiat, scilicet, cognoscendo omnes colores. Si enim haberet in se aliquem colorem proprium, non iudicaret alios colores secundum naturas proprias illorum colorum sed solum secundum naturam coloris quem habet, sicut sensibiliter patet in aliis, ut de lingua infecta amaritudine. Et hoc est intentio expressa Philosophi tertio *De Anima*, quia dicit quod intellectus ad hoc quod cognoscat debet esse immixtus, id est, denudatus ab omni forma materiali ad hoc quod cognoscat omnes formas materiales. Et sic patet quantum ad illum articulum quod recipiens intentionem alicuius forme materialis ad hoc quod cognoscat formam cuius est intentio debet denudari a natura forme recepte realis secundum speciem et secundum genus cognoscibilis a tali virtute cognoscitiva, sicut autem non est in immaterialibus. Nam virtus immaterialis potest reflectere se supra se et sic cognoscere se per reflexionem nec oportet quod denudetur a se. Unde, quamvis sequitur: intellectus possibilis cognoscit omnes formas materiales, ergo non est aliqua forma materialis nec in se habens aliquam formam materialem, tamen non sequitur: intellectus possibilis cognoscit omnes formas immateriales, ergo non est aliqua forma immaterialis, quia antecedens est verum et consequens falsum. Et causa huius est quia forma materialis impedit cognitionem et forma immaterialis non. Et ideo illud dictum „recipiens debet denudari" debet intelligi de recipiente materiali modis prius dictis et omnes divisiones et glose ante dicte intelligende sunt de recipiente materiali.

Si autem loquitur de intentionibus formarum realium eiusdem speciei et dubitatur an tales possent esse simul in eodem subiecto adequato, dico quod sic, ut probatum est supra ex parte medii et ex parte sensus et ex parte intellectus.

Sed contra hoc arguitur probando quod due intentiones individuorum eiusdem speciei, ut intentiones Sortis et Platonis, non sunt simul in intellectu et per consequens nec in sensu, quia intentio una sufficit ad representanda omnia individua eiusdem speciei. Ergo, posita una

intentione individui in mente, superfluit ponere aliam intentionem individui eiusdem speciei.

Item, si due intentiones individuorum eiusdem speciei possunt esse simul in eadem mente, eadem ratione et infinite. Consequens est falsum, quia infinita in actu non possunt esse simul nec in eodem nec in diversis. Consequentia probatur per simile. Nam Aristoteles quarto *Phisicorum*[52] sic arguit: si duo corpora possunt esse simul in eodem loco, eadem ratione et infinita et sic arguitur in proposito.

Ad primum, dicendum quod una intentio in mente non potest distincte representare diversa individua eiusdem speciei. Nam per indistinctum finitum, quod dico pro essentia divina que est infinita omnia distincte representans, non possunt aliqua representari distincte diversa. Et ideo ad hoc quod intellectus cognoscat distincte diversa individua eiusdem speciei oportet quod habeat intentiones distinctas illorum individuorum. Et sic patet quod, posita una tali intentione, non superflueret ponere aliam. Et si dicatur quod ille intentiones, ex quo sunt intentiones individuorum eiusdem speciei, sunt omnino similes; ergo quidquid una illarum representat distincte, illud idem representat alia distincte; ergo una illarum sufficit ad representandum distincte omnia que habent distincte representari et per consequens posita una superfluit ponere aliam – ad hoc dico quod, ex hoc quod ille intentiones sunt omnino similes in naturis suis, non potest concludi nisi quod representant similia. Nec ex hoc sequitur quod representant omnino eadem. Unde illa consequentia non valet: ille intentiones sunt omnino similes; ergo quidquid representatur per unam representatur per aliam. Sed illud bene sequitur, scilicet, ille intentiones sunt omnino similes; ergo qualecumque representatur per unam, tale representatur per aliam. Unde, quamvis due intentiones duorum individuorum sunt omnino similes in essendo, non tamen in representando, et ideo non oportet quod quidquid representatur per unam representatur per aliam.

Sciendum est quod quoddam est representativum, id est, natum representare, quod solum representat et non representatur nec cognoscitur a virtute cui representat rem, cuius est intentio coloris in medio et in visu. Illa enim solum representat colorem visui et non cognoscitur a visu nec representatur visui per aliquod representativum. Et de talibus representativis non oportet quod, si sint omnino similia, prop-

---

[52] 213b6–12.

ter hoc representent idem omnino. Oportet tunc quod representant omnino similia[53], sicut due albedines eque intense habent intentiones omnino similes et ideo representant omnino similia sed non omnino idem.

Quod autem sit tale representativum et non representatum nec cognitum a virtute cui representat rem patet. Nam color causat intentionem suam in toto aere usque ad visum. Sed quia nec aer nec accidentia aeris sunt visibilia, ideo intentio coloris habens esse subiective in aere non est visibilis. Et propter idem intentio recepta in organo visus non est visibilis, quia nec organum visus nec aliquod accidens eius est visibile, cum denudetur ab omni colore, ut dictum est. Et ideo huiusmodi intentio in medio et in sensu est representativum coloris visui et tamen non representatur visui nec cognoscitur ab eo.

Aliud vero est representativum quod representat et representatur et cognoscitur a virtute cui representat, ut patet de ymagine Cesaris formata in lapide. Et si ponuntur due tales ymagines omnino similes, quidquid representatur per unam representatur per aliam, quia per tale representativum non devenitur in cognitionem representati nisi per discursum, quod patet, quia virtus que non discurrit non cognoscit representatum mediante tali representatione. Unde, quia visus non discurrit, ideo visus videns ymaginem Cesaris non propter hoc videt Cesarem nec habet notitiam de Cesare sed solus intellectus cognoscit representatum, ut puta Cesarem, per tale representativum, ut puta ymaginem, discurrendo a cognitione representantis ad cognitionem representati per accidentia similia deveniendo per accidentia representantis, que sunt similia accidentibus representati, in cognitionem accidentium representati.

Ad aliud argumentum cum dicitur qua ratione due intentiones sunt in intellectu eadem ratione et infinite, dicendum quod quantum est ex parte intellectus non est repugnantia sed ex impossibilitate infinitarum formarum in actu est quod infinite intentiones non possunt esse simul in intellectu.

---

[53] propter hoc representent ... similia, *om.* Vb.

[DIFFICULTATES]

1. Sed super hiis sunt dubitationes non pauce, quia in primo articulo dictum est quod in eadem materia non possunt esse simul diverse forme substantiales educte de potentia materie. Illud non videtur esse verum, quia in homine sunt plures forme substantiales, quod patet, quia corrupto homine manet idem corpus quod prius, quia aliter corpus Christi non fuisset idem primo vivum et deinde mortuum. Ergo in homine vivente sunt plures forme substantiales, una que remanet post mortem et alia que dissolvitur post mortem.

2. Item, in homine videtur esse tres anime, scilicet, intellectiva, sensitiva et vegetativa, quarum due, scilicet, vegetativa et sensitiva, sunt educte de potentia materie, ergo, etcetera. Probatio assumpti, scilicet, quod in homine sunt tres anime in actu, quia certum est quod in homine est anima intellectiva per quam distinguitur a brutis et a plantis et simul cum hoc convenit cum brutis et non nisi per animam sensitivam et etiam cum plantis et non nisi per animam vegetativam. Ergo in homine sunt tres anime.

Confirmatur, quia operatio arguit formam per Philosophum quarto *Metheororum*[54]. Sed in homine sunt operationes trium animarum, scilicet, intelligere quod est operatio anime intellective, sentire quod est operatio sensitive et generare, nutriri et augmentare que sunt operationes vegetative. Ergo in homine sunt dicte tres anime.

3. Item, arguitur probando generaliter quod in qualibet substantia composita sunt ad minus due forme, quia in quolibet tali composito est materia prima cui semper inest dimensio interminata. Sed dimensio interminata requirit, ex quo est accidens, subiectum ens in actu per formam substantialem. Ergo in materia prima est aliqua forma substantialis eternaliter ex qua et materia prima fit verum compositum quod est subiectum dimensionis interminate. Et hec fuit opinio Avicenne ut imponit sibi Commentator in *De Substantia Orbis*. In quolibet ergo composito est aliqua forma substantialis eterna et alia nova ut illa que inducitur per transmutationem generantis. Ergo in omni tali composito sunt due forme substantiales.

4. Item, arguitur specialiter ex parte mixtionis elementorum adin-

---

[54] 390a10–20.

vicem. Videtur enim quod in quolibet mixto perfecto sunt quinque forme substantiales, scilicet, forma mixti per quam mixtum reponitur in determinata specie, Verbi gratia, in lapide est aliqua forma substantialis per quam est lapis vel in specie lapidis et in quolibet tali mixto preter formam mixti sunt forme substantiales quattuor elementorum, ut forma ignis, forma aeris, forma aque et forma terre. Ergo, etcetera.

Probatur assumptum, scilicet, quod forme substantiales elementorum manent actu in mixto, quia per Philosophum secundo *De Generatione*[55] omne mixtum perfectum constituitur ex omnibus elementis. Quero tunc, an omnia elementa manent in mixto aut nulla aut aliqua et aliqua non. Si detur quod omnia elementa manent in mixto, tunc forme substantiales omnium elementorum manent in mixto, quia elementum non manet nisi ubi est sua forma substantialis. Si nulla elementa manent, tunc non est mixtio, quia non-entia seu corrupta non miscentur et ita, si nulla elementa manent, non est mixtio elementorum nec aliquod mixtum ex elementis, quod falsum est. Si detur quod aliquod elementum manet et aliquod non, ad hoc sequitur quod non est mixtio ex elementis, quia ens et non-ens non miscentur adinvicem. Ergo, si manet aliquod elementum et aliquod non, non est mixtio elementorum nec per consequens mixtum. Hec est ratio Aristotelis libro *De Generatione,* capitulo „De Mixtione."

Huic fortasse dicetur quod forme elementorum manent in mixto sed non manent in eadem parte materie sed una forma elementorum manet in una parte et alia forma elementorum manet in alia parte materie.

Contra: quelibet pars mixti est mixta per Philosophum tertio*De Generatione*[56]. Ergo in qualibet parte mixti sunt omnia elementa et per consequens in qualibet parte mixti sunt omnes forme elementorum et sic in eadem parte materie sunt omnes forme elementorum et ita plures forme elementorum in eadem parte materie simul sunt. Confirmatur hec ratio, quia accipiamus aliquod mixtum homogenium quod est consimilis dispositionis et nature in omnibus partibus eius, cuius est caro, sanguis, lapis aut vinum. Et sic in tali mixto sunt forme omnium elementorum. Ergo, si in aliqua parte illius sit forma ignis, in qualibet alia parte eiusdem est forma ignis. Aliter non esset similis nature et eiusdem dispositionis in omnibus partibus suis. Et si in aliqua parte

---

[55] 339^{b}32.

[56] 328^{a}11–12.

illius sit forma aque, in qualibet parte illius est forma aque. Aliter non esset omnino similis dispositionis in omnibus partibus. Et sic arguendo de aliis formis elementorum. Et ita in tali mixto sunt omnes forme elementorum, videlicet, in qualibet parte et sic in eadem parte materie sunt omnes forme elementorum.

5. Item, arguitur ad conclusionem principalem ex parte materie appropriate forme. Omnis forma specifica materialis, preter materiam communem que est materia prima, habet materiam propriam dicente Philosopho secundo *Phisicorum*[57] quod in alia et alia specie est alia et alia materia. Accipio ergo materiam propriam forme asini. Illa materia addit et includit aliquid super materiam primam. Aliter non esset appropriata tali forme. Et illud additum vel est forma vel includens formam. Aliter esset idem quod materia prima. Quero tunc de illa forma addita appropriante materiam forme asini, aut est forma substantialis aut accidentalis. Non est dicere quod est forma accidentalis, quia sic forma accidentalis esset pars substantialis, quia certum est quod materia prima propria asini est pars asini. Ergo in asino sunt due forme substantiales, una per quam asinus est in specie asini et alia que est forma materie proprie asini[58] approprians materiam forme asini.

Ad istas difficultates est dicendum supposito quod in eadem parte materie non sunt plures forme substantiales educte de potentia materie, sicut solebant philosophantes dicere.

1. Ad primam difficultatem dicendum est quod in homine est una forma substantialis perficiens totam materiam hominis, scilicet, anima intellectiva que non est educta de potentia materie. Preter animam intellectivam sunt plures forme substantiales partiales perficientes diversas partes materie, que forme distinguuntur specie, cuius sunt forma carnis, forma ossis, forma nervi et sic de aliis. Et ita est in quolibet alio etheromogenio, scilicet, quod in diversis partibus sunt forme substantiales diverse secundum speciem. Aliter non esset etheromogenium. Et ita concedo quod in homine sunt plures forme substantiales partiales educte de potentia materie sed non sunt plures tales in eadem parte materie.

Item, quia anima intellectiva secundum Beatum Augustinum est in qualibet parte corporis et ita est in eadem parte in qua est forma carnis, ideo concedendum est quod in eadem parte materie sunt due

---

[57] 194b9.

[58] et alia que ... asini, *om.* Va.

forme substantiales, una extensa ad extensionem materie et educta de potentia materie et alia indivisibilis non extensa nec educta de potentia materie. Et si dicatur quod secundum hoc anima intellectiva esset accidens, quia adveniret enti in actu et omne tale est accidens, dicendum quod omnis forma educta de potentia materie adveniens enti in actu est accidens sed non est verum de forma que non educitur de potentia materie, quia talis forma non iniungitur materie, quia non extenditur ad extensionem materie.

Ex predictis patet qualiter inconvenientia vitantur secundum istam positionem que sequuntur ad aliam positionem ponentem quod in homine non est alia forma substantialis partialis nec totalis preter animam intellectivam. Ad illam enim positionem sequitur quod nihil manet idem in corpore Christi vivo et postmodum mortuo preter naturan et per consequens corpus Christi non erat idem primo vivum et postmodum mortuum, quia sola materia prima non dicitur corpus. Et sic nec corpus Christi mortuum nec corpus alicuius Sancti esset adorandum, quia non est adorandum ratione materie prime que fuit sub forma alicuius Sancti, quia sic vivens generatus ex materia prima alicuius Sancti esset adorandus, quia eadem materia prima que est sub forma vivens fuit materia corporis ex quo corpore generatus est vivens.

Dicendum est ergo, vitando huius inconvenientia, quod plures forme substantiales partiales que fuerunt in Christo vivo manent in corpore Christi mortuo. Et ideo corpus Christi vivum et modo mortuum est idem numero et habet easdem formas substantiales partiales numero et eadem accidentia, ut eadem vulnera et eandem figuram et easdem qualitates, ut eandem albedinem.

Sed dubium est an corpus mortuum habet aliam formam substantialem totalem perficientem totam materiam suam et videtur quod sit, quia aliter non esset corpus vivum.

Item, dubium est an in corruptione animalis generetur alia nova forma substantialis. Videtur enim quod sic, quia secundum Philosophum primo *De Generatione*[59], corruptio unius est generatio alterius. Ergo in corruptione animalis generatur una nova forma substantialis que est forma totius materie. Et sic videtur quod corpus animalis mortuum fit unum per unam formam substantialem perficientem totam materiam que generatur in corruptione forme animalis.

---

[59] 318b33–34.

Ad primum dubium dicendum quod corpus animalis mortuum non est unum per aliquam unam formam substantialem nec inducitur nova forma substantialis in materia, quando animal corrumpitur, quia sic non maneret idem corpus numero vivum et mortuum, quia haberet aliam formam substantialem secundum speciem et sic esset aliud et aliud secundum speciem et per consequens non esset idem corpus numero, quia quecumque differunt specie differunt numero. Dico ergo quod corpus animalis mortuum non est unum nisi unitate aggregationis, quomodo aggregatum ex diversis secundum speciem contentis in eodem continente potest dici unum. Verbi gratia: si unus saccus impleretur carnibus et ossibus et intestinis et lignis et lapidibus, ille saccus sic plenus cum contentis in eo solum esset unum unitate aggregationis et non unitate alicuius forme substantialis. Et sic est de corpore animalis mortuo, scilicet, quod non habet unitatem alicuius unius forme sed solum unitatem aggregationis plurium differentium specie.

Et cum dicitur quod corruptio unius est generatio alterius, dicenduum quod hoc non est generaliter verum sed solum ubi unum corrumpitur et resolvitur in unum tantum. Ubi autem unum corrumpitur et resolvitur in multa, ibi corruptio unius non est generatio alterius nec ubi unum generatur ex multis ibi generatio unius est corruptio alterius. Verbi gratia: secundum ponentes elementa manere actu in mixto in corruptione mixti mixtum corrumpitur et resolvitur in elementa que manebant in mixto et ita secundum eos corruptio mixti non est generatio alterius et hoc quia in corruptione mixti resolvitur unum in multa. Similiter in generatione mixti ex elementis prius existentibus est generatio sive corruptio et ideo illa propositio „generatio unius est corruptio alterius et econverso" habet veritatem ubi est generatio unius ex uno et corruptio unius in unum. Et sic dico quod in corruptione animalis non est generatio alicuius forme, quia corruptio animalis fit per resolutionem unius in multa, scilicet, animalis in partes suas.

2. Ad aliam difficultatem dicendum quod in homine est tantum una anima, scilicet, intellectiva et tres potentie specie differentes, scilicet, potentia intellectiva et potentia sensitiva et potentia vegetativa. Et illa anima manens una numero denominatur intellectiva secundum quod est principium intelligendi; vocatur sensitiva secundum quod est principium sentiendi; vocatur vegetativa secundum quod est principium vegetandi, scilicet, generandi, nutriendi et augmentandi. Et cum dicitur quod homo distinguitur a brutis per animam intellectivam et convenit cum illis per animam sensitivam et non per idem convenit

cum aliquo et distinguitur differenter ab eodem, dicendum quod homo per animam intellectivam distinguitur specifice a brutis et a plantis et per eandem animam, scilicet, intellectivam convenit secundum genus cum brutis et plantis. Nam per animam intellectivam est homo et animal et corpus animatum. Et per hoc quod est homo distinguitur a brutis et a plantis. Per hoc quod est animal convenit cum brutis et per hoc quod est corpus animatum convenit cum plantis[60]. Et ita dico quod homo per eandem formam substantialem omnino distinguitur specifice a brutis et a plantis et convenit genere cum eisdem nec sunt ista opposita, differentia secundum speciem et convenientia secundum genus. Et ideo huiusmodi differentia et huiusmodi convenientia possunt inesse eidem per idem respectu eorundem.

Sed contra adhuc videtur quod in homine sint predicte anime distincte, quia per Philosophum decimo sexto *De Animalibus*[61] embrio in matre prius vivit vita plante, deinde vita animalis et postea vita hominis. Sed non vivit vita plante nisi per animam vegetativam nec vita animalis nisi per animam sensitivam nec vita hominis nisi per animam intellectivam. Ergo in homine sunt predicte tres anime. Nec est dicere quod verum est quod primo vivit vita anime vegetative et postmodum vita anime sensitive et postea vita anime intellective sed anima vegetativa expellitur in adventu sensitive[62] et sensitiva in adventu intellective. Istud non valet, quia si embrio primo habet animam vegetativam sine sensitiva, tunc primo erit planta, quia anima vegetativa sine sentitiva constituit plantam. Et si prius vivit vita anime sensitive quam intellective, cum anima sensitiva sine intellectiva constituit animal brutum seu irrationale, sequeretur quod embrio in matre primo esset planta, deinde animal brutum, deinde homo. Et ita mulier primo esset impregnata una planta, deinde bruto, deinde homine.

Ideo dicendum est quod embrio primo vivit vita plante, hoc est, in embrione prius apparet operatio potentie vegetative quam potentie sensitive et prius apparet operatio anime sensitive in embrione quam operatio anime intellective. Simul tamen inducuntur potentie vegetativa, sensitiva et intellectiva. Nec sunt iste tres potentie diverse anime sed sunt diverse potentie eiusdem anime.

---

[60] et per hoc quod ... plantis, *om.* B.
[61] 736ᵃ24–736ᵇ8.
[62] sed amina vegetativa ... sensitive, *om.* Va.

Et, si dicatur quod embrio prius tempore nutritur, augmentatur, formatur et figuratur quam habeat sensum et intellectum, quia anima intellectiva non infunditur, ut communiter dicitur, ante sextum mensem a tempore conceptionis et tunc diu ante nutritur et augmentatur; cum ergo nutritio et augmentatio sunt operationes anime vegetative, videtur quod prius tempore habeat animam vegetativam quam sensitivam, dicendum est quod embrio prius tempore nutritur, augmentatur et formatur quam habeat aliquam animam. Et iste operationes sunt ab anima vegetativa matris et non ab anima propria vegetativa[63]. Et sic patet ad auctoritatem quod Philosophus per vitam plante intelligit operationem vegetativam et per vitam animalis operationes sensitivas. Et verum est quod post animam inductam prius tempore est operatio vegetative quam operatio sensitive et prius tempore est operatio sensitive quam intellective et tamen omnes potentie simul inducuntur. Unde in puero iam nato prius tempore apparet operatio sensitive quam operatio intellective et secundum veritatem operatio sensitive prius tempore est in puero nato operatione intellectus.

4. Ad aliam difficultatem de mixtione dicendum est quod in mixto non manent elementa nec forme elementorum neque actu intenso neque remisso, quod patet primo cum quelibet pars mixti sit mixta. Si elementa manerent in mixto actu, in qualibet parte mixti essent quattuor elementa et sic quattuor corpora essent simul in eodem corpore adequato, quod est contra Philosophum quarto *Phisicorum*[64].

Et, si dicatur quod quattuor corpora de genere substantie, cuius sunt quattuor elementa, bene possunt esse simul, quia sola dimensio facit distare secundum Philosophum quarto *Phisicorum*[65] et in mixto est tantum una corporeitas de genere quantitatis, licet quattuor corpora de genere substantie, contra: elementa, qua concurrunt ad generationem mixti et in qua mixtio resolvitur, manent in mixto secundum sic opinantes. Cum igitur forma elementaris non possit migrare de materia in materiam, quia hoc est proprium soli anime posse esse in diversis materiis per mixtionem et augmentationem, sequitur quod, si forme elementares sint in mixto, materie, que fuerant sub illis formis ante generationem mixti et que erunt sub illis formis[66] post resolutionem

---

[63] et non ab ... vegetativa, *om.* B.

[64] 213^{b}6–12.

[65] 209^{a}5–6.

[66] ante generationem ... formis, *om.* Va.

mixti, manent in mixto et, cum ille forme elementares sunt undique in mixto[67], materie que fuerant et erunt sub illis formis erunt undique in mixto et sic quattuor materie prime erunt simul et adequate in mixto. Cum igitur secundum Commentatorem materia numquam denudatur a corporeitate interminata de genere quantitatis, que corporeitas vocatur dimensio interminata, sequitur quod, si quattuor materie prime sint simul in mixto, quattuor corporeitates, que prius erant in illis materiis inseparabiles ab eis, erunt simul in illo mixto et ita, si quattuor corpora de genere substantie sint simul, sequitur quod[68] quattuor corpora de genere quantitatis erunt simul.

Item, si elementa manent actu in mixto, sequitur quod ignis erit ita frigidus sicut aqua vel frigidior, quia est aliquod corpus mixtum ita frigidus sicut aqua[69] vel frigidius, ut patet de marmore vel de aliquo alio mixto intense frigido. Si ergo in marmore vel in tali mixto esset ignis in actu, cum ignis sit undique in tali mixto, frigiditas talis mixti esset in igne et ita ignis esset ita frigidus sicut tale mixtum est. Ergo, etcetera. Hoc confirmatur, quia, si ignis sit in tali mixto, aut ergo caliditas ignis est in igne aut non. Si detur quod non, ergo erit aliquis ignis non calidus sed frigidus. Si vero aliqua caliditas sit in igne, illa erit simul cum frigiditate mixti que est valde intensa et ita caliditas potest esse simul cum frigiditate intensa.

Ad id fortasse dicitur quod contraria compatiuntur se in omni gradu preter quam in summo. Unde cum frigiditate summa non potest esse caliditas sed cum qualibet frigiditate citra summam potest esse caliditas remissa.

Contra hoc dupliciter arguitur. Primo sic. Termini motus sunt incompossibiles per Philosophum quinto *Phisicorum*[70]. Sed inter caliditatem remissam et frigiditatem remissam potest esse motus, ut patet de aqua remisse caliditatis que potest moveri ad frigiditatem remissam. Ergo caliditas remissa et frigiditas remissa sunt incompossibiles et per consequens non possunt esse simul in eodem subiecto adequato.

Item, species caliditatis et species frigiditatis sunt species contrarie. Sed quidquid est impossibile superiori est impossibile cuilibet inferiori. Sed caliditati in communi, scilicet, speciei repugnat frigiditas in com-

---

[67] et cum ille ... mixto, *om.* Vb.
[68] si quattuor corpora ... quod, *om.* L.
[69] vel frigidior quia ... aqua, *om.* Va.
[70] 225b1.

muni. Ergo cuilibet caliditati repugnat frigiditas et per consequens quelibet caliditas repugnat frigiditati et quod repugnat superiori repugnat cuilibet inferiori. Ergo quelibet frigiditas repugnat cuilibet frigiditati et per consequens nulla caliditas est simul cum aliqua frigiditate. Hec ratio confirmatur sic adhuc. Caliditas remissa et frigiditas remissa sunt contraria, quia species earum sunt contrarie, ut dictum est. Sed quelibet contrarietas[71] includit contradictionem, ut patet ex decimo *Metaphisice*[72]. Ergo, si contraria quamcumque remissa sunt simul in eodem, sequitur quod contraria vere predicantur de eodem, quod est impossibile.

Secundo, probo quod in mixto valde frigido, cuius est marmor, non est aliqua caliditas et per consequens ibi non est ignis, quia omnis forma activa existens in aliquo potest in propriam operationem illius forme, ut patet ex quarto *Meteororum*. Sed propria operatio caloris est calefacere. Ergo, si in marmore esset caliditas, illa posset calefacere et per consequens tactus bene dispositus approximatus marmori sentiret calorem et calefactionem caloris in marmore, quod falsum est[73]. Hoc potest argui. Marmor operans in sua propria dispositione solum frigefacit. Ergo, si in marmore essent ignis et calor, ignis et calor frigefacerent, quod est impossibile.

Propterea videtur esse dicendum ad istam difficultatem quod in mixto non manent elementa nec forme elementorum in actu sed in virtute tantum et hec est sententia Aristotelis secundo libro *De Partibus Animalium*[74]. Qualiter autem manent in virtute in mixto potest sic patere. Unumquodque elementum agens in aliud elementum intendit inducere formam suam in materiam alterius elementi, ut ignis agens in aquam intendit inducere formam ignis in materiam aque. Cum igitur elementa agent et patiuntur adinvicem et nullum potest ad plenum dominari super aliud inducendo formam suam in materiam alterius, faciunt quod possunt et quia non possunt inducere formas proprias, producunt effectum communem continentem ipsa elementa in virtute, sicut effectus communis continet suas causas. Verbi gratia: mulus productus ex generatione asini et equi continet in virtute asinum et equum. Nam quodammodo assimilatur asino et quodammodo

---

[71] oppositio, B; Va and Vb *om. both* words.
[72] 1055^{a}34–1055^{b}29.
[73] quod falsum est, *om.* Vb.
[74] 649^{b}9–29.

assimilatur equo, sed forma asini et forma equi non manent actualiter in mulo. Et eodem modo forme elementorum non manent actu in mixto sed in virtute, sicut cause manent virtualiter[75] in effectu communi.

Sed qualiter elementa manent virtualiter in mixto et que est illa virtus elementorum manens in mixto videndum est. Et sciendum est quod nulla forma vel qualitas que fuit in elementis vel in aliquo corpore manent actu in mixto sed in mixto sunt qualitates mixte continentes virtualiter qualitates elementorum. Illud enim dicitur continere aliquid virtualiter quod potest in operationem consimilem operationi illius alterius. Nam operatio est a virtute et perfectione forme. Nunc aliud in mixto est una qualitas media inter caliditatem in summo et frigiditatem in summo que sunt qualitates elementorum et illa qualitas media in aliquibus declinat magis ad unum mixtum quam ad aliud. Aliquod enim mixtum plus potest in operationem frigidi quam in operationem calidi et aliquod mixtum econverso. Omne tamen mixtum respectu alicuius passibilis[76] potest in operationem calidi, ut si passibile sit frigidius quam ipsum et in operationem frigidi, ut si passibile sit calidius quam ipsum[77]. Verbi gratia: lignum tangens hominem remittet caliditatem hominis, quia homo est naturaliter calidior ligno et ita potest in operationem frigidi, quia remittere calorem est operatio frigidi et lignum tangens marmorem remittet frigiditatem marmoris et ideo potest in operationem calidi, quia operatio calidi est remittere frigiditatem. Hoc enim patet. Accipiamus hominem multum calefactum habentum calorem valde intensum et tunc accipiamus alium hominem habentum calorem valde remissum et accipiamus tertium hominem habentum calorem medium. Caro illius hominis tangens carnem hominis intense calidi remittet calorem eius, quia intenso calido apparet quod ille medius homo est frigidus. Et, si idem medius homo in calore tangat hominem remisse calidum, intendit calorem illius remisse calidi, quia calefacit ipsum. Sed intendere calorem est operatio calidi et remittere calorem est operatio frigidi. Et sic patet quod qualitas mixti media inter caliditatem et frigiditatem elementorum continet virtualiter tam caliditatem quam frigiditatem elementorum, quia potest in operationem utramque. Eodem modo est una qualitas in mixto

---

[75] actu in mixto ... virtualiter, *om.* B.
[76] potest in operationem frigidi ... passibilis, *om.* B.
[77] et in operationem frigidi ... ipsum, *om.* B.

media inter siccitatem elementarem et humiditatem elementarem continens utramque in virtute et potest in operationem utramque, quia respectu magis sicci humectat et respectu magis humidi dessicat. Et sic patet qualiter mixtum continet elementa in virtute, quia habet qualitates naturales que possunt in operationes consimiles secundum speciem operationibus qualitatum elementorum. Et ita, si queratur an elementa manent in mixto vel non, respondendum est sicut respondet Aristoteles primo *De Generatione*[78] qui dicit quod elementa quodammodo manent in mixto et quodammodo non. Manent in mixto in virtute sed non manent actu nec videtur contra istam opinionem aliquid nisi dictum Commentatoris tertio *De Celo*[79] ubi dicit quod elementa et forme elementorum manent in mixto actu remisso. Cui dico non est consentiendum, quia idem Commentator quarto *Phisicorum*[80] dicit oppositum. Dicit enim ibidem quod in substantia, id est, in toto genere substantie, non est aliqua forma diminuta que postea fit perfecta et ita vult quod nulla forma substantialis suscipit magis et minus et hoc vult Philosophus in predictis. Et sic forme elementares non possunt intendi et remitti et ideo, si manerent in mixto, oporteret quod manerent sub esse perfecto, quod tamen omnes negant.

3. Ad aliam difficultatem que immediate ponitur ante illam de mixtione que fuit quod in quolibet composito ex materia et forma est alia forma substantialis inseparabilis a materia ad quam sequuntur dimensiones interminate, sicut posuit Avicenna, dicendum quod non est talis forma substantialis inseparabilis a materia, quia, si esset aliqua talis in materia, materia ipsa non posset aliquam aliam formam recipere, ut arguit Commentator primo *Phisicorum*[81]. Et cum dicitur quod dimensio interminata, ex quo est accidens, requirit subiectum existens in actu, scilicet, substantiam compositam, dicendum quod accidens, quod semper est in materia, non requirit ens in actu pro subiecto, videlicet, actualitate formali. Requirit tamen subiectum ens in actu, scilicet, actualitate existentie. Unde dimensio interminata et potentia materie sunt immediate in materia prima tamquam in subiecto. Sed accidentia, que de novo adveniunt subiecto, sunt in substantia composita tamquam in subiecto.

Et, si dicatur quod secundum hoc forma substantialis advenerit enti

---

[78] 327b25–31.

[79] *Op. cit.*, Vol. V, text 67.

[80] *Ibid.*, Vol. IV, text 84.

in actu, quia adveniret materie prime actuate et formate per dimensionem interminatam et omne adveniens enti in actu est accidens et sic forma substantialis esset accidens, dicendum est quod forma substantialis advenit enti in actu imperfecto, quia sola forma substantialis est actus simpliciter et forma accidentalis est actus diminutus in comparatione ad formam substantialem, quia non dat esse simpliciter sed esse tale aut tantum. Dico ergo quod forma substantialis advenit enti in actu diminuto, scilicet, enti in actu per formam accidentalem et non est verum quod omne adveniens tali enti in actu est accidens sed omne adveniens enti in actu simpliciter est accidens.

5. Ad aliam difficultatem de materia propria forme cum dicitur quod quelibet forma specifica requirit materiam propriam, quia, ut dicit Philosophus, in alia et alia specie, etcetera, dicendum quod materia quantum ad propositum pertinet est triplex, scilicet, materia alterationis tantum, materia compositionis tantum et tertio est materia compositionis et alterationis communis. Verbi gratia: in generatione hominis semen est materia alterationis tantum, quia semen hominis alteratur et transmutatur quousque inducatur forma hominis aut aliqua alia forma disposita ad formam hominis et in inductione illius forme corrumpitur forma substantialis seminis. Et ideo semen est solum materia alterationis et non est materia compositionis, quia non manet in adventu forme hominis vel alterius forme precedentis, ut forma sanguinis vel menstrui.

Materia compositionis tantum est illa que non habet esse ante inductionem forme cuius est materia. Et sic partes integrales que non habent esse ante inductionem forme totius dicuntur materia compositionis tantum. Verbi gratia: sic enim caro et os dicuntur materia hominis, que non est vera caro nec verum os ante inductionem forme, quia non potest prius in propriam operationem carnis aut ossis, quia propria operatio carnis est convertere alimentum in formam carnis et propria operatio ossis est convertere alimentum in formam ossis, quia operatio utriusque est producere sibi simile in specie et hoc neutrum potest ante inductionem anime.

Materia compositionis et alterationis est sicut materia prima que ante inductionem forme alteratur et transmutatur et nihilominus, forma substantiali inducta, manet in composito tamquam pars et ita est materia alterationis et compositionis. Aliud potest poni exemplum et

---

[81] *Ibid.*, Vol. IV, text 63.

est exemplum Commentatoris secundo *Phisicorum*[82]. Nam oximel componitur ex aceto et melle que alterantur antequam oximel sit factum et etiam manent in oximelle et ideo acetum et mel sunt materia compositionis et alterationis ipsius oximellis.

Omnia ista, que dicta sunt de unitate forme substantialis, dicta sunt de formis perficientibus materiam et non de formis declarantibus quidditatem, quia tales forme que declarant quidditatem possunt esse simul in eodem, ut species, genus subalterum, genus generalissimum et differentie.

De formis vero accidentalibus dictum est prius quod plures forme accidentales diversorum generum et etiam eiusdem generis possunt esse simul in eodem subiecto adequato, ut quantitas et qualitas, que differunt secundum genus supremum seu omnino secundum genus. Quia in nullo genere conveniunt, sunt simul in eodem subiecto adequato. Similiter, albedo et dulcedo, que differunt secundum genus proximum seu subalternum, sunt simul in eodem subiecto adequato et differunt genere subalterno, quia albedo est in genere coloris, quod est genus subalternum, et dulcedo est in genere saporis, quod est genus subalternum. Forme etiam accidentales respective seu relative eiusdem speciei sunt simul in eodem, ut due paternitates respectu duorum filiorum sunt simul in eodem patre et etiam forme accidentales absolute eiusdem speciei, ad quas non est per se motus, possunt esse simul in eodem subiecto. Sed due forme accidentales eiusdem speciei, ad quas est per se motus, non possunt esse simul in eodem subiecto.

Sed dubitatur de relatione, quia non videtur esse forma realis, quia nulla nova res potest advenire alicui nulla mutatione facta in eo cui advenit. Sed relatio advenit alicui nulla mutatione facta in eo cui advenit. Nam Sorte albo existente hic, si Plato existens Rome fiat albus, nova relatio advenit Sorti existenti hic nulla mutatione facta in eo per hoc quod Plato fiat albus Rome nulla mutatione facta in Sorte existente hic.

Item, si relatio esset forma realis, moto digito meo, moverentur omnia corpora in mundo, quia cuilibet corpori mundi acquireretur nova res quia nova relatio. Nam per motum digiti mei quodlibet aliud corpus vel fit propinquius digito meo vel remotius quam prius. Ergo cuilibet alteri corpori acquireretur nova propinquitas vel nova distantia, que sunt relationes, et per consequens forme reales per se.

---

[82] *Op. cit.*, Vol. IV, text 31.

Dicendum est quod aliquid dicitur reale dupliciter; uno modo communiter, alio modo proprie. Loquendo communiter de reali, est omne illud reale quod habet verum esse sive habeat esse in anima sive extra animam. Et reale isto modo distinguitur contra non-existens quod nullo modo habet esse nisi in consideratione anime et ens rationis distinctum contra ens reale isto modo est illud quod solum habet esse obiectivum in anima et isto modo figmenta, privationes et negationes et sola talia, que nullum verum esse habent, dicuntur esse entia rationis.

Alio modo dicitur ens reale stricte et est illud quod in suo esse nullo modo dependet ab anima et per oppositum ens rationis dicitur omne illud quod dependet ex operatione intellectus anime et sic intentiones et conceptus ab anima facti existentes subiective in anima dicuntur esse entia rationis, quamvis habeant verum esse in rerum natura, quia non solum habent esse obiectivum sed etiam esse subiectivum, quale esse non habent figmenta, privationes et negationes. Cum igitur queritur an relatio sit forma realis seu ens reale, dicendum est quod accipiendo ens reale primo modo sic quedam relationes sunt reales et quedam non. Nam relatio que habet verum esse nullo modo dependens ab intellectu est forma realis et ens reale, cuius est prioritas et similitudo et huiusmodi. Quia, etsi nullus intellectus esset, adhuc taurus esset prior vitulo et unum album simile alteri albo et unum quantum equale vel inequale alteri. Et ita ille huiusmodi relationes sunt reales tam primo modo quam secundo modo, quia habent verum esse, ita quod non sunt non-entia. Alique vero relationes facte sunt ab intellectu, cuius est relatio respectu intentionis generis et intentionis speciei et ille relationes sunt reales primo modo, quia vere existunt in rerum natura sed non sunt reales secundo modo, quia dependent ab operatione anime et ab anima. Et ideo huiusmodi relationes dicuntur relationes rationis et entia rationis secundum quod ens rationis distinguitur contra ens reale secundo modo, quia propter hoc solum dicitur ens reale, quia habet verum esse non dependens ab intellectu.

Adhuc alique relationes que nullum verum esse habent sed solum habent esse obiectivum et considerationem intellectus et isto modo oppositio vel contradictio, que est non-entis ad ens, dicitur relatio rationis seu ens rationis et ens rationis isto modo dictum distinguitur contra ens reale[83] primo modo dictum.

---

[83] secundo modo quia propter ... reale, *om.* Vb.

Ad rationes igitur probantes quod relationes que non dependent ab intellectu, cuius sunt similitudo, equalitas et huiusmodi, non sunt forme reales, quia possunt advenire alicui ipso non mutato, dicendum est secundum Philosophum quinto *Phisicorum*[84] quod hoc est speciale in relatione quod ipsa advenit alicui ipso cui advenit non mutato. Relatio enim secundum Philosophum ibidem advenit alicui per solam mutationem alterius extremi. Verbi gratia: columna modo in dextro per solam mutationem meam ad partem oppositam fit in sinistro nulla mutatione facta in columna sed ipsa totaliter quiescente.

Ad formam argumenti: cum dicitur quod illud non est ens reale quod advenit alicui ipso cui advenit non mutato, dicendum est quod illud[85] non est ens reale absolutum. Bene tamen potest esse ens reale respectivum.

Ad aliud: cum dicitur quod, si relatio esset ens reale, tunc moto digito meo moverentur omnia corpora, dico quod illud non sequitur. Concedo tamen quod moto digito acquiritur cuilibet alteri corpori res nova respectiva sine mutatione eorum, quia hoc est proprium relationi, ut dictum est, quod potest acquiri alicui illo cui acquiritur non mutato.

Sed contra. Mutari est aliter se habere nunc quam prius. Sed habens novam rem quam prius non habuit se habet aliter quam prius respectu illius rei. Ergo, illud cui acquiritur nova res mutatur.

Item, propositio non mutatur a veritate in falsitatem nisi per mutationem rei, ut patet ex predictis capitulo „de substantia." Si hec ergo est modo vera „columna est modo in dextro" et illa fit falsa, oportet quod res mutatur. Et ita non est possibile quod relationes acquirerentur alicui sine mutatione sui.

Ad primum dicendum est quod illud cui advenit nova res se habet aliter quam prius respectu illius sed ex hoc non sequitur quod mutatur, quia mutari est aliter se habere quam prius respectu rei absolute et non oportet quod illud quod se habet aliter quam prius respectu rei relative mutetur vel aliter potest dici quod mutari est aliter se habere quam prius ratione sui, scilicet, quod mutatur sed illud cui acquiritur res relativa se habet aliter quam prius non ratione sui sed ratione alterius extremi quod mutatur, ut patet de Sorte albo hic quiescente cui acquiritur nova similitudo per hoc quod Plato Rome fit de novo albus. Patet etiam illa responsio. Nam, si aliquis existens iuxta columnam

---

[84] 225^{b}11–12.

[85] dicendum quod illud, *om.* Va.

recedat a columna et fiat ab ea multum distans, columna se habet aliter quam prius respectu illius. Sed quia hoc non est ratione columne, ideo columna non mutatur. Similiter, Deus scit me sedere et iam non sciet illud. Et ita se habebit aliter respectu illius propositionis quam modo se habet. Sed quia hoc non est ratione sui sed ratione rei que mutabitur, ideo non sequitur quod Deus mutabitur.

Ad aliud, concedo quod propositio non mutatur a veritate in falsitatem nisi per mutationem factam alicuius rei sed non oportet quod hoc sit per mutationem rei significati per subiectum propositionis sed potest esse per mutationem alicuius rei extrinsece que non significatur per aliquam partem propositionis, ut patet de ista „Sortes est similis." Ponamus quod Sortes modo nulli sit similis, tunc hec est falsa „Sortes est similis" et fiat Plato albus, tunc hec est vera „Sortes est similis." Et ita mutatur a falsitate in veritatem sine mutatione alicuius rei significate per aliquam partem propositionis sed per muationem rei extrinsece, scilicet Platonis[86].

---

[86] Et hoc sufficiat de materia prima, etcetera, *add.* B.

[PARS POSTERIOR]

Notandum est circa corpus de genere quantitatis quod corpus de genere quantitatis est illud quod de se habet profunditatem, immo quod verius est, est ipsa profunditas et habet latitudinem, que est superficies terminans ipsum, et superficies habet longitudinem, scilicet, lineam terminantem ipsam et linea habet punctum indivisibilem terminantem ipsam lineam. Unde, circa corpus de genere quantitatis est sciendum quod ipsum est secundum se profundum et nihil aliud est profundum formaliter nisi ratione corporis de genere quantitatis, sicut nihil formaliter est album nisi ratione albedinis.

Corpus vero de genere substantie est subiectum adequatum corporis de genere quantitatis. Verbi gratia: substantia lapidis habet profunditatem et ratione illius profunditatis dicitur profunda, sicut ratione albedinis dicitur alba. Et ideo, sicut substantia lapidis est alia res ab albedine, cum sit subiectum albedinis, ita corpus de genere substantie est alia res a corpore de genere quantitatis et corpus de genere substantie[1] est proprium subiectum corporis de genere quantitatis.

Diversitas autem inter corpus de genere substantie et corpus de genere quantitatis potest sic ymaginari. Possibile est enim, virtute divina, quod corpus quod est substantia omnino destruatur remanente corpore de genere quantitatis cum aliis accidentibus, cum albedine, sapore, figura, levitate, gustitate, duritia et huiusmodi, sicut ponit fides quod in Sacramento Altaris manet quantitas cum aliis accidentibus sine substantia panis que fuit subiectum illius quantitatis. Et ita, cum idem non[2] possit esse et non-esse simul, patet quod corpus de genere substantie quod est panis est aliud a corpore de genere quantitatis, quia unum manet, scilicet, corpus de genere quantitatis et corpus de genere substantie non manet.

Contra. Secundum hoc albedo esset verum corpus, quia albedo esset ita profunda sicut corpus de genere quantitatis, sicut sapor extenditur secundum extensionem corporis de genere quantitatis, ut patet de melle in quo undique est dulcedo. Et ita, sicut substantia extensa ad

---

[1] est alia res ... substantie, *om.* Vb.
[2] non, *om.* Vb.

extensionem corporis de genere quantitatis dicitur corpus de genere substantie, ita albedo vel dulcedo extensa ad extensionem corporis de genere quantitatis[3] potest eadem ratione dici corpus de genere qualitatis.

Item, per se corpus de genere substantie est subiectum adequatum corporis de genere quantitatis. Corpus ergo de genere substantie et corpus de genere quantitatis sunt simul in eodem loco adequato, quod est inauditum.

Ad primum istorum dicendum quod non omne extensum secundum latum, longum et profundum est corpus sed solum illud quod ex se est sic extensum et illud quod primo et immediate post illud est extensum secundum longum, latum et profundum, cuiusmodi est proprium subiectum corporis de genere quantitatis, scilicet, corpus de genere substantie, quia illud est primo et immediate post corpus de genere quantitatis sic extensum secundum longum, latum et profundum. Unde, corpus de genere quantitatis primo et ex se est extensum secundum dictas tres dimensiones et immediate post corpus de genere quantitatis est subiectum quantitatis sic extensum, scilicet, corpus de genere substantie et postea qualitas et alia accidentia sunt extensa ad extensionem corporis substantie, quamvis principaliter et primo sint extensa ad extensionem quantitatis. Et propter hoc substantia longa, lata et profunda magis dicitur corpus quam qualitas longa, lata et profunda, quia substantia per prius sic extenditur quam qualitas, ut sine magna calumnia posset concedi quod qualitates extense secundum longum, latum et profundum sunt corpora de genere qualitatis. Unde, non esset magnum inconveniens concedere quod albedo est corpus de genere qualitatis nec est inconveniens nisi quia non est in usu sic dicere.

Ad aliud argumentum, cum dicitur quod duo corpora sunt simul in eodem loco adequato, scilicet, corpus substantia et corpus quod est quantitas, dicendum quod non est inconveniens duo corpora esse simul in eodem loco quorum unum est substantia et aliud est quantitas sed solum de duobus corporibus de genere quantitatis est inconveniens quod illa sint in eodem loco, quia sola dimensio facit distare secundum Philosophum quarto *Phisicorum*[4] et quod unum corpus non potest ingredi aliud nisi penetraret ipsum, hoc est solum ratione dimensionum.

---

[3] dicitur corpus de genere substantie ... quantitatis, *om.* B.

[4] 209a5–6.

Intelligendum est quod corpus de genere substantie non est de se extensum secundum longum, latum et profundum sed solum per quantitatem, que est accidens in eo, sicut corpus non est ex se album sed solum per albedinem informantem ipsum. Unde, quamvis corpus de genere substantie sit extensum secundum tres dimensiones, tamen non habet aliam dimensionem a dimensionibus quantitatis. Unde, corpus de genere substantie est profundum profunditate que est corpus de genere quantitatis et non alia profunditate et est latum latitudine que est quantitas, scilicet, per ipsam superficiem et non alia latitudine et est longum longitudine que est linea. Unde, ponamus quod mille profunda sint simul, scilicet, substantia corporea et quantitas que est corpus et albedo, sapor, siccitas, calor et sic de aliis. Mille omnia ista sunt profunda eadem profunditate numero, scilicet, profunditate que est corpus de genere quantitatis nec etiam habent aliam longitudinem vel latitudinem quam longitudinem vel latitudinem de genere quantitatis. Unde, non sequitur: mille profunda sunt simul, ergo mille profunditates sunt simul, ut patet ex dictis.

Sed dubium est quia Deus potest auferre quantitatem a substantia corporea illa substantia manente in eodem situ et habente omnes partes quas prius habuit et illo supposito illa substantia corporea, cum occupet situm et locum, habebit partem extra partem et erit longum, latum et profundum et per consequens de se substantia est quanta nec oportet aliam rem in substantia ponere extendentem substantiam. Ex quo de se est extensa et quanta sine omni alia re. Quod autem Deus posset facere substantiam corpoream sine quantitate probatur, quia quod potest facere maius, potest facere minus. Sed quantitas plus dependet a substantia corporea quam substantia corporea a quantitate, quia accidens plus dependet a substantia quam econverso. Sed Deus potest facere quantitatem per se absque substantia corporea. Ergo multo fortius potest facere substantiam corpoream sine quantitate. Et hec est ratio fundamentalis ponentium quod quantitas non est res distincta a substantia corporea et a qualitate extensa; immo, omne extensum, ut dicunt, est quantitas. Substantia enim extensa est quantitas de genere substantie et qualitas extensa est quantitas de genere qualitatis.

Et, si dicatur quod in Sacramento Altaris manet quantitas et non manet substantia panis, ergo quantitas est alia res a substantia, ad id dicunt quod in Sacramento Altaris non manet substantia panis[5] nec

[5] ergo quantitas est alia ... panis, *om.* Va.

manet illa quantitas que fuit substantie panis, manet tamen quantitas que est qualitas. Unde in Sacramento Altaris non manet omnis quantitas que prefuit sed solum manet quantitas que est de genere qualitatis et non remanet quantitas de genere substantie.

Contra. Quero an utrumque illorum corporum, scilicet, de genere substantie et de genere qualitatis, sit ex se extensum et dimensionatum vel unum sit ex se extensum et aliud per accidens, scilicet, per aliud quod est ex se extensum. Si detur primum, tunc duo corpora ex se extensa possunt esse simul et qua ratione duo eadem ratione infinita, sicut arguit Philosophus quarto *Phisicorum*[6]. Similiter, non videtur probabile quod esse extensum vel facere distare convenit primo rebus diversorum generum, quoniam in omnibus est dare aliquod primum tale et etiam omnis passio requirit aliquod primum subiectum. Sed facere distare et esse dimensionatum est una passio. Ergo habet aliquod primum subiectum.

Confirmatur, quia nihil convenit univoce rebus diversorum generum sed secundum prius et posterius, ut patet per Porphirium[7]. Ergo esse dimensionatum et facere distare conveniunt substantie et qualitati non univoce sed secundum prius et posterius. Sed destructo priori, destruitur quodlibet posterius. Ergo, si substantia sit per prius dimensionata et faciens distare quam qualitas, tunc destructa substantia non posset qualitas manere dimensionata nec occupans locum, cuius oppositum ipsi dicunt, quia dicunt quod in Sacramento Altaris manet qualitas dimensionata et occupans locum sine omni quantitate alterius generis.

Si vero qualitas sit primo dimensionata, tunc illa destructa non posset substantia manere dimensionata, cuius oppositum ipsi dicunt in fundando positionem eorum, quia hec est ratio fundamentalis eorum, quia, si quantitas sit alia res a substantia, cum Deus posset facere substantiam sine quantitate in eodem loco in quo prius erat, substantia posset manere extensa et dimensionata et quanta sine quantitate. Eodem modo arguitur contra eos de qualitate, quia ex quo qualitas est alia res a substantia, Deus posset destruere eius qualitatem remanente substantia in eodem loco et sic substantia posset esse dimensionata et quanta sine qualitate et per consequens qualitas non est primo quanta et destructo priori, etcetera.

---

[6] 213b6–12.

[7] Porphyrii Introductio in Aristotelis Categorias a Boethio Translata, *Commentaria in Aristotelem Graeca*, A. Busse, ed. (Berlin, 1887), Vol. IV, 40–41.

Ad illam difficultatem oportet quod dicant quod utrumque, scilicet, tam substantia quam qualitas, est eque primo quantum et[8] dimensionatum et sic oportebit ipsos concedere quod duo ex se quanta sunt simul in eodem loco.

Ad Aristotelem dicant quod duo corpora abinvicem separata secundum locum non possunt simul convenire in eundem locum, ita quod unum moveatur ad locum alterius reliquo quiescente, quia unum necessario expelleret aut penetraret ipsum. Sed tamen duo corpora que numquam erant separata abinvicem secundum locum sed simul in eodem loco generata bene possunt esse simul.

Sed contra hoc arguo, sicut arguit Aristoteles. Si duo corpora possunt esse in eodem loco simul eadem ratione et infinita. Et ita corpus maximum posset esse in loco corporis minimi naturaliter et sic maximus mons posset esse in loco ita parvo sicut est locus unius grani milii. Et quod hoc sequitur, probo sic. Accipiamus unam partem terre que est ita parva sicut granum milii. Cum illa parte terre potest esse simul alia pars montis ita parva sicut est illa pars prius data, quia per se duo corpora possunt esse simul in eodem loco adequato. Adhuc, cum illis duobus partibus potest esse tertia pars montis equalis prime parti date et sic de quarta parte et sic quousque consumatur totus mons et sic mons quicumque magnus posset esse per se in loco milii.

Confirmatur. Ponamus quod sit unus mons maximus totus albus[9] vel diversarum qualitatum secundum quamlibet partem tante quantitatis, sicut est granum milii. Si Deus auferret substantiam montis remanentibus qualitatibus, adhuc mons esset ita magnus, sicut prius, occupans eundem locum quem prius et tunc probo quod ille magnus mons potest esse in loco milii, quia aufferatur una pars tante quantitatis quante est granum milii. Cum illa potest esse alia pars montis tante quantitatis, ita quod possunt esse in eodem loco adequato. Et ita potest esse de tertia, quarta quousque totus mons fiat in loco grani milii.

Et, si dicatur quod una pars non[10] potest esse simul cum alia, non propter incompossibilitatem dimensionum, sed quia sunt forme eiusdem speciei que non possunt esse simul in eodem loco adequato, contra: sic opinantes dicunt quod forma intenditur per additionem partis ad partem remanente priori cum parte posteriori et ita habent dicere quod

---

[8] eque primum et, Vb.
[9] totus albus, *om.* Va.
[10] non, *om.* Va.

in formis que intenduntur una forma potest esse simul et adequate cum forma eiusdem speciei et ita, si esset una albedo ita magna sicut maximus mons, una pars ita parva sicut est granum milii posset aufferri et iterum alia pars tante quantitatis potest aufferri et addi priori parti ita quod sint in eodem loco adequato et ita de tertia parte et sic deinceps quousque tota albedo, que erat ita magna sicut mons, fiat in loco ita parvo, sicut est locus unius grani milii.

Item, ponamus quod ex diversis accidentibus alterius et alterius speciei per se existentibus sine substantia fiat unus mons et sit quelibet illarum formarum ita parva sicut granum milii, ita quod una pars sit siccitas et alia caliditas et alia dulcedo et sic de aliis formis diversarum specierum. Cum igitur forme diversarum specierum possunt esse simul in eodem loco adequato, aufferatur una pars tante quantitatis quante est granum milii et sit siccitas et postea aufferatur tanta pars, puta caliditas, et ponatur in eodem loco et iterum aufferatur tanta pars et fiat in eodem loco et sic deinceps qousque totus mons fiat in equali loco, loco grani milii.

Item, si una pars terre tante quantitatis quante est granum milii non posset esse simul cum alia, aut hoc esset propter incompossibilitatem dimensionum aut propter incompossibilitatem qualitatum. Non propter incompossibilitatem qualitatum, quia ponamus quod qualitates sint omnino consimiles. Si propter incompossibilitatem dimensionum, sic habetur propositum, scilicet, dimensiones corporee sunt incompossibiles et sic, si qualitas sit corpus, et etiam substantia sit corpus, non possunt substantia et qualitas esse simul in eodem loco.

Item, contra hoc, quidem dicunt quod duo corpora possunt esse simul et tamen unum corpus non potest ingredi aliud posito quod sint prius separata secundum locum, illud non videtur esse verum, quia, si duo corpora possunt esse simul, tunc sunt compossibilia in essendo. Sed quecumque sunt compossibilia in essendo, posito quod distent, possunt applicari simul, cum corporum applicatio simul non includat contradictionem nec incompossibilitatem. Ergo duo corpora distantia possunt fieri simul.

Confirmatur hec ratio, quia quod possibile est esse factum, possibile est fieri et econverso, ut patet secundo *Metaphisice*[11]. Sed duas quantitates corporeas esse simul de facto est possibile. Ergo hoc potest fieri. Ergo supposito quod distent, adhuc possunt applicari simul.

---

[11] Primo, Va and L.; 994ᵃ20–994ᵇ4.

Item, impossibile est duas per se quantitates, ex ea parte qua sunt per se divisibiles, esse simul, quamvis ex ea parte qua sunt indivisibiles alique quantitates[12] possunt esse simul. Sed due quantitates corporee sunt per se divisibiles secundum profunditatem. Ergo impossibile est quod due quantitates corporee sint simul secundum profunditatem et per consequens non possunt esse simul in eodem loco. Sed substantia et qualitas sunt simul in eodem loco. Ergo non sunt per se quantitates corporee. Maior patet. Nam, quia linea per se est divisibilis secundum longitudinem, ideo, si sibi addatur alia linea secundum longitudinem, ille linee non erunt simul, quia linea addita linee secundum longitudinem additur sibi secundum extremitatem suam, ita quod extremitates linearum simul additarum secundum longitudinem sunt simul, quia ille extremitates nullo modo distant. Sed ipse linee sic addite non sunt simul adequate, sicut nec due medietates linee producte in directum sunt simul adequate et hoc quia una medietas est producta post aliam secundum longitudinem.

Similiter, quia superficies est divisibilis secundum latitudinem, non est possibile quod, si una superficies addatur alteri secundum latitudinem, sint simul, ut manifeste patet, quia, si una addatur alteri secundum latitudinem, una ponitur iuxta aliam et non super aliam et per consequens non simul adequate. Et quia linea non est divisibilis secundum latitudinem et profunditatem, ideo addendo unam lineam alteri ex parte latitudinis, ponendo unam iuxta aliam localiter, ambe sunt simul et adequate et addendo unam alteri secundum profunditatem, scilicet, ponendo unam super alteram, ambe sunt simul adequate. Nam, si ponitur unum corpus super aliud corpus, ita quod inter illa non sit medium, linea in corpore tangente immediata corpori tacto est simul adequate cum linea supra quam ponitur in corpore tacto. Et quia superficies est indivisibilis secundum profunditatem, ideo, si una addatur alteri, ex parte profunditatis sunt simul adequate, ut patet. Si unum corpus ponatur super aliud et tangant se, ultima eorum, scilicet, superficies secundum quas se tangant, sunt simul in eodem loco adequato. Cum igitur quantitas corporea sit per se divisibilis secundum profunditatem, non possunt due quantitates corporee esse simul secundum profunditatem[13] et per consequens non possunt esse simul in eodem loco adequato, quia, si essent in eodem loco adequato[14], utraque pro-

[12] quamvis ... quantitates, *om.* B.
[13] non possunt ... profunditatem, *om.* Vb.
[14] quia ... adequato, *om.* Vb.

funditas occuparet totum locum et ita utraque esset simul[15] cum alia adequate.

Hec ratio probat quod nec due quantitates corporee possunt de novo simul coniungi ita quod coeant in eodem loco adequato nec quod possunt esse simul in facto esse, etsi prius non existerent separatim, quia due linee non possunt esse simul adequate una iuxta aliam secundum longitudinem nec due superficies possunt esse simul adequate, si una sit iuxta aliam secundum latitudinem sive simul producantur in esse secundum talem positionem sive prius existant separata abinvicem et postea coniungantur adinvicem. Separata enim, sive sint posita iuxta seinvicem de novo sive separata, ex ea parte qua sunt divisibilia, numquam erunt simul adequate. Hec ratio nunc confirmatur, quia non minus est corpus divisibile aut faciens distare secundum profunditatem quam linea secundum longitudinem aut superficies secundum latitudinem. Si ergo due linee non possunt esse simul secundum longitudinem nec due superficies secundum latitudinem, sequitur quod due quantitates corporee non possunt esse simul secundum profunditatem.

Item, una quantitas corporea adveniens alteri expellit ipsam a loco suo. Sed nihil expellit aliquid ab alio nisi propter[16] incompossibilitatem eorum in essendo simul in illo. Ergo due quantitates corporee sunt incompossibiles in essendo in eodem loco et per consequens substantia corporea et qualitas, que est simul et adequate cum ipsa, non sunt quantitates corporee. Maior est a sensu manifesta et minor patet exemplariter in similibus, quoniam numquam calor ignis expelleret frigiditatem aque nisi propter incompossibilitatem inter calorem et frigiditatem nec amaritudo adveniens alicui corpori expelleret dulcedinem nisi propter incompossibilitatem inter amaritudinem et dulcedinem.

Propter hoc et alia videtur esse dicendum quod quantitas est res alia a substantia et a qualitate et quod corpus de genere substantie est alia res a corpore de genere quantitatis nec est profundum propria profunditate sed solum profunditate corporis de genere quantitatis, quia, si haberet propriam profunditatem aliam a profunditate corporis de genere quantitatis, non possunt esse simul adequate, quia omne per se divisibile, ex ea parte qua est divisibile, facit distare et ideo, si substantia corporea esset per se divisibilis secundum profunditatem et

---

[15] divisibilis, Vb.

[16] propter, *om.* Va.

quantitas corporea similiter esset per se divisibilis secundum profunditatem, non possunt esse simul secundum profunditatem sed necessario distarent.

Dico igitur quod corpus substantia et corpus quantitas sunt duo profunda et duo corpora sed non habent duas profunditates nec duas corporeitates sed tantum unam, scilicet, profunditatem et corporeitatem de genere quantitatis. Unde, quando unum accidens est in duobus subiectis, in uno mediate et in alio immediate, verbi gratia, scientia est in homine et scientia est in intellectu, in intellectu immediate et in homine mediate, tunc illud accidens manens unum et idem numero denominat illa duo in numero plurali. Verbi gratia: homo et intellectus sunt duo scientes et non sunt unum sciens et scientia denominans utrumque est eadem numero. Eodem modo eadem profunditas[17] numero denominat utrumque, scilicet[18], corpus de genere substantie et corpus de genere quantitatis et etiam alia accidentia habentia profunditatem denominative accepta in numero plurali. Hec enim est vera: substantia corporea et corpus quod est quantitas et albedo extensa in toto corpore sunt tria profunda et tamen non habent nisi unam profunditatem, scilicet, profunditatem de genere quantitatis.

Nec est verum quod sic opinantes dicunt quod omne profundum est per se corpus et per se quantum, quia, si sic esset, materia prima lapidis esset corpus et forma substantialis extensa ad extensionem materie esset corpus et color suus esset corpus et siccitas esset aliud corpus et etiam densitas esset aliud corpus et sic de multis aliis, quod non est verum, quia sic aggregatum ex omnibus illis esset maius unoquoque illorum, quia secundum auctorem *Sex Principiorum*[19] omne per se compositum, intelligendo per se compositum per se corpus adveniens alteri per se corpori, facit totum maius. Sed non est ita in proposito, quia una substantia corporea non est maior ex hoc quod una qualitas extensa ad extensionem eius[20] advenit ei. Corpus enim cum albedine non est maius quam corpus sine albedine, quia equale locum occupat sive habeat albedinem sive non. Ergo albedo, dulcedo et huiusmodi non sunt per se corpora, cum non faciant maius cum illo cui adveniant.

---

[17] quantitas, Vb.
[18] utrumque scilicet, *om.* Vb and B.
[19] Migne, *Patrologia Latina*, vol. 64, col. 1257.
[20] ad extensionem eius, *om.* Vb.

Modo restat dicere ad rationem fundamentalem opinionis contrarie cum dicitur quod Deus potest facere substantiam corpoream sine quantitate corporea, ipsa substantia remanente in eodem loco remanentibus omnibus partibus suis, cum quelibet pars substantie est substantia et Deus potest destruere accidens remanente tota substantia et sic substantia corporea remanebit qua occupans locum destructo quolibet accidente et per consequens ipsa substantia de se est quantitas.

Dicendum quod Deus potest destruere omne accidens in substantia corporea et conservare eandem substantiam cum omnibus partibus suis sed non in eodem loco, quia destructa quantitate per quam substantia est in loco, non remanebit substantia in loco circumscriptive, cum non habeat tunc partem extra partem. Verumtamen substantia sic manens sine accidentibus habet omnes easdem partes quas prius habuit, tam partes essentiales, scilicet, materiam et formam, quam partes integrales nec remanebit illa substantia actu corporea destructa quantitate, cum non sit corporea actu nisi per quantitatem, intelligendo per „corpoream in actu" actu profundam.

Et, si dicatur quod substantia[21] sic remanens sine accidentibus[22] est alicubi et per consequens et in loco et sic est quanta.

Iterum, illa substantia sic remanens, cum sit substantia, aut est corporea aut incorporea. Non incorporea, quia prius fuit corporea et idem numero non potest migrare de differentia in differentiam nec de specie in speciem, ut patet decimo *Metaphisice*[23]. Ergo oportet quod illa substantia sit corporea et per consequens est corpus, quia omnis substantia corporea est corpus[24] et omne corpus est in loco circumscriptive. Ergo illa substantia denudata ab omnibus accidentibus est in loco circumscriptive[25] et non est in loco per aliquod eius accidens. Ergo est per se in loco et per se quanta et per consequens est quantitas.

Dicendum est ad primum quod illa substantia sic denudata ab omnibus suis accidentibus non est alicubi circumscriptive, quia non circumscribitur nec circumdatur aliquo loco nec adequatur alicui loco, sicut nec Deus nec intelligentia est in aliquo loco circumscriptive sed solum diffinitive, ut dicunt theologi, et esse in loco diffinitive est esse hic vel

---

[21] quantitas, Vb.
[22] quantitate, Va and L.
[23] 1057^{b}35–1058^{a}27.
[24] quia omnis ... corpus, *om.* Vb.
[25] ergo illa substantia ... circumscriptive, *om.* B.

esse ibi, ita quod non alibi. Non tamen est dare certum situm in quo est adequate. Ita est de anima[26].

Ad aliud, dico quod „corporea" accipitur dupliciter: uno modo pro illo in quo sunt actu tres dimensiones et sic „corporea" non est differentia substantie[27]. Alio modo accipitur „corporea" pro eo in quo est aptitudo ut in eo ponantur tres dimensiones, sive actu habeat dimensiones sive non, et sic „corporea" est differentia substantie. Et sic accipiendo „corporea" concedo quod substantia materialis denudata ab omnibus accidentibus est corporea et etiam corpus. Sed ex hoc non sequitur quod sit in loco actu sed solum aptitudine, quia eo modo quo habet dimensiones, eo modo est in loco. Cum igitur non habeat dimensiones nisi aptitudine, non est in loco nisi aptitudine.

Ex dictis patet quod substantia non est divisibilis in partem extra partem nisi per quantitatem. Est tamen divisibilis in partes essentiales, ut in materiam et formam que dicuntur partes diversarum rationum et etiam in partes eiusdem rationis, preter quantitatem, quia amota omni quantitate remanente tota substantia remanent eedem partes substantie tam partes eiusdem rationis, id est, eiusdem nature sive eiusdem diffinitionis posito quod habeant diffinitionem et omnes partes forme sunt eiudem rationis inter se[28]. Sed materia et forma sunt diversarum rationum, quia sunt diversarum naturarum et forma est actus et materia est potentia. Et sic patet quod substantia quantum ad esse suum proprium nec secundum se nec secundum partes suas dependet a quantitate sed solum dependet a quantitate quantum ad esse accidentale, scilicet, quantum ad esse extensum seu dimensionatum et quantum ad esse in loco circumscriptive et hec omnia accidunt substantie. Et hoc videtur esse valde rationale, quia substantia quantum ad totum genus substantie est prius naturaliter omni accidente secundum illud quod est et secundum proprium suum esse substantie. Cum ergo partes substantie tam eiusdem rationis quam diversarum rationum sint de genere substantie, oportet quod sint priores naturaliter quantum ad proprium esse eorum omni quantitate et sic substantia materialis quantum ad habere partes eiusdem rationis vel diversarum rationum in nullo dependet a quantitate sed solum ad habere partem extra partem, sicut quantum ad esse extensum dependet substantia materialis a

---

[26] de anima et de demonibus, Vb and B.

[27] est differentia quantitatis, B.

[28] a *quam diversarum rationum* construction should be here but no MS has it.

quantitate. Sicut enim substantia materialis quantum ad esse suum proprium et essentiale non dependet ab albedine, quantum tamen ad esse album seu ad disgregandum visum substantia materialis dependet ab albedine. Eodem modo est ex parte alia quod substantia materialis quantum ad esse suum proprium et materiale non dependet a quantitate sed quantum ad esse quantum et esse extensum et quantum ad habere partem extra partem[29].

Sed dubium est qualiter quantitas ex se habet partes, quia nullum habens partes est per se unum nisi una illarum partium habeat rationem potentie et alia rationem actus, ut patet ex secundo *De Anima*[30], ubi dicit Philosophus quod causa quare ex aliquibus fit unum est quia unum eorum est in potentia et reliquum in actu nec est alia causa secundum ipsum assignanda, ut, si queratur quare ex cera et figura fit unum, non est alia causa assignanda nisi quia cera est in potentia ad figuram et figura est actus eius. Sed una pars quantitatis non est in potentia ad aliam, quia ex quo partes quantitatis sunt eiusdem rationis sive eiusdem nature, non est magis ratio quod una sit in potentia ad aliam quam econverso.

Similiter de linea et superficie, an sint partes corporis de genere quantitatis et videtur quod sic, quia corpus de genere quantitatis ex se habet longitudinem et latitudinem et per consequens longitudo et latitudo sunt partes corporis. Sed contra: corpus linea et superficies differunt specie et sunt forme et actus et ex multis in actu differentibus specie non fit per se unum. Ergo corpus de genere quantitatis non est per se unum.

Item, dubitatur de substantia materiali denudata ab omnibus accidentibus, ut de homine – ponamus quod Deus conservaret in esse totam substantiam hominis destructis omnibus accidentibus eius – utrum isto supposito talis substantia sit divisibilis vel indivisibilis. Non est dare quod est indivisibilis[31], quia tunc non haberet partem extra partem et sic non remaneret tota substantia, quia partes que sunt substantie non remanerent. Et, si dicatur quod substantia sic spoliata accidentibus esset divisibilis, tunc esset quantum et per consequens haberet quantitatem et non de genere quantitatis. Ergo substantia est quantitas et econverso, quod est propositum. Confirmatur

---

[29] eodem modo est ... partem, *om.* B.
[30] 412ᵇ6–9.
[31] vel indivisibilis ... indivisibilis, *om.* Va and Vb.

sic, quia omne habens partes est totum et omne totum est maius sua parte. Ergo, si substantia sic spoliata haberet partes, esset maior sua parte. Sed quod est aliquo maius est quantum. Ergo substantia sic denudata ab omnibus accidentibus esset quanta, cuius contrarium dictum est.

Ad primum illorum dicendum quod quantitas ex se habet partes eiusdem rationis sive nature. Corpus enim de genere quantitatis habet partes quarum quelibet est corpus. Unde quelibet pars corporis de genere quantitatis est corpus et quelibet pars linee est linea et quelibet pars superficiei est superficies. Quando ergo dicitur quod ex diversis non fit unum et maxime ex diversis accidentibus non fit unum nisi unum sit in potentia et reliquum in actu, dicendum quod ex diversis secundum speciem vel secundum naturam non fit unum nisi unum sit in potentia et reliquum in actu, ut patet de materia et forma, ex quibus fit per se unum que differunt secundum naturam. Ex diversis tamen eiusdem rationis et nature bene potest fieri per se unum, quamvis unum non[32] sit in potentia ad reliquum in actu, ut patet de albedine que est per se una et habet partes eiusdem rationis, quarum nulla est in potentia ad aliam. Illa ergo propositio „ex duobis non fit per se unum nisi unum sit in potentia, etcetera" debet intelligi de diversis secundum naturam. Ex talibus enim partibus non fit unum per se nisi unum sit potentia et reliquum actus. Similiter, illa propositio „ex duobus in actu non fit unum" intelligitur de duobus in actu diversarum rationum, non de accidentibus eiusdem rationis.

Et, si dicatur quod ex partibus hetheromogeneis que sunt diversarum naturarum fit per se unum, quamvis nulla earum sit in potentia ad reliquam, ut patet de homine, carnibus, ossibus, nervis, musculis, ex quibus fit per se unum et tamen nullum eorum est in potentia ad reliquum et tamen sunt diversarum naturarum, dicendum quod ex diversis secundum speciem vel secundum naturam, quorum nullum est in potentia ad aliud, precise acceptis sine quocumque alio quod est actus respectu eorum, non fit per se unum. Unde, ex carnibus et ossibus et nervis, etcetera, acceptis sine anima que est actus eorum non fit per se unum[33] sed solum secundum aggregationem, ut dictum est alibu. Et sic dico quod ex diversis seu ex duobis diversis secundum rationem, quorum nullum est in potentia ad aliud, nec ambo sunt in

---

[32] non, *om.* Va and Vb.

[33] Unde ex carnibus ... unum, *om.* Vb.

potentia ad tertiam, non fit per se unum. Si tamen illa diversa secundum naturam sint per se in potentia ad tertium, ex illis cum illo tertio fit per se unum et sic ex illis sine illo tertio non fit per se unum sed solum unum secundum aggregationem, ut patet de partibus hominis dissoluta anima intellectiva, ut dictum est supra.

Sed dubitatur quia videtur quod in homine sit aliqua forma substantialis alia ab intellectiva ad quam partes hominis sunt in potentia, quia dissolutis corpore et anima intellectiva abinvicem, sicut est possibile secundum fidem, manet corpus et manet anima intellectiva et non manet homo. Ergo aliquid prius fuit in homine quod nec fuit corpus nec anima intellectiva et illud erat forma hominis. Et ita in homine fuit aliqua alia forma ab intellectiva et est alia forma manente homine propter eandem rationem. Modus argumenti patet per Philosophum septimo *Metaphisice*[34] ubi arguit sic. Dissolutis A et B, manet B et manet A et non manet hec sillaba BA. Ergo aliquid fuit in hac sillaba quod nec fuit B nec fuit A et illud fuit forma et quidditas huius sillabe, ut dicit Philosophus.

Dicendum quod argumentum Philosophi est bonum arguendo de partibus materialibus sed arguendo de parte materiali et parte formali non valet argentum. Unde, illud argumentum est bonum: dissolutis carnibus et ossibus hominis abinvicem manent carnes et manent ossa et non manet homo. Ergo in homine fuit aliquid preter carnem et ossa et illud fuit forma hominis. Sed arguendo de corpore et anima non valet argumentum et ideo non sequitur: dissolutis corpore et anima intellectiva, etcetera. Ergo aliud fuit in homine preter corpus et preter animam intellectivam quod fuit forma hominis. Unde, de partibus materialibus tenet argumentum Philosophi et ideo argumentum suum tenet gratia materie. Unde, per illud argumentum intendit probare quod in composito per se uno preter partes materiales est aliquid aliud quod est forma illarum partium. Unde manifestum est quod argumentum solum tenet de partibus materialibus.

Ad secundum dubium quod erat de superficie et linea an sint partes corporis de genere quantitatis, dicendum quod non. Sicut enim linea non componitur ex punctis, ita nec superficies componitur ex lineis nec corpus ex superficiebus aut lineis, ut probat Philosophus tertio *De Celo*[35] contra antiquos opinantes quod corpora componantur ex super-

---

[34] 1041^{b}11–32.

[35] 299^{a}1–300^{a}19.

ficiebus. Et potest ad hoc probandum adduci ratio talis, quia, sicut indivisibile simpliciter additum indivisibili simpliciter nullo modo facit maius, ita indivisibile secundum aliquam dimensionem non facit maius secundum illam dimensionem, quamvis secundum illam partem qua est divisibile facit maius[36]. Sicut quia linea est indivisibilis secundum latitudinem, ideo linea addita linee non facit maiorem latitudinem, quamvis possit facere maiorem longitudinem. Similiter, quia superficies est indivisibilis secundum profunditatem, ideo superficies addita superficiei non facit maiorem profunditatem, quamvis possit facere maiorem latitudinem, ut si una superficies alteri additur secundum latitudinem, scilicet, latitudinaliter non ponendo unam super aliam. Ex hiis probatur propositum sic. Quelibet pars corporis de genere quantitatis facit maiorem profunditatem et quia facit corpus maius, tunc ablata parte qualicumque corporis residuum fit minus quam prius fuit totum. Sed nec linea nec superficies facit maius secundum profunditatem, cum utrumque sit indivisibile secundum profunditatem. Ergo nec linea nec superficies est pars corporis.

Ad argumentum in contrarium, cum dicitur quod corpus de genere quantitatis de se habet longitudinem et latitudinem, etcetera, dico quod corpus de genere quantitatis de se habet longitudinem et latitudinem tamquam suos terminos et non tamquam suas partes. Unde corpus terminatur ad superficiem tamquam ad suum terminum proximum et superficies terminatur ad lineam et linea ad punctum et ideo, sicut punctum non est pars linee, ita linea non est pars superficiei nec superficies est pars corporis. Tunc superficies est ita essentialis terminus corporis, quod Deus non posset facere corpus de genere quantitatis sine superficie terminante ipsum, quia, si superficies non terminaret corpus, corpus non haberet[37] terminum nec finem et per consequens corpus esset actu infinitum et, si Deus non posset facere corpus actu infinitum, ut dicunt philosophi, sequitur quod Deus non posset facere corpus de genere quantitatis sine superficie terminante ipsum, etcetera.

Ad tertium dubium, cum queritur an substantia materialis denudata ab omnibus accidentibus sit divisibilis aut indivisibilis, dico quod est divisibilis, quia habet partes tam diversas secundum rationem quam eiusdem rationis. Nec ex hoc sequitur quod sit quanta vel in loco, quia non habet partes extensas nec habet partem extra partem et ideo non

---

[36] secundum illam dimensionem ... maius, *om.* B.

[37] corpus non haberet, *om.* Va.

est in loco, quia solum habens partem extra partem est in loco circumscriptive. Exemplum huius potest poni. Propositio in mente componitur ex conceptibus et ita est divisibilis in partes. Quia tamen non est divisibilis in partem extra partem, ideo non est in loco et eodem modo ex parte altera.

Et, si dicatur quod secundum hoc homo spoliatus ab omnibus accidentibus suis haberet partes integrales, ut caput, manus et pedes, quia ille partes sunt substantie et quelibet substantia que prefuit sub accidentibus hominis remanet post spoliationem ab omnibus accidentibus. Homo ergo sic existens sine omni accidente haberet caput, pedes et manus et sic necessario partes sint extra seinvicem. Caput enim est extra pedes et econverso. Ergo sic existens haberet partem extra partem et per consequens est quantus et occupans locum. Dicendum quod separatis omnibus accidentibus ab homine substantia capitis manet et substantia pedis similiter sine omni figura nec est una pars extra aliam nec sunt partes simul secundum locum nec separate secundum locum, quia non sunt in loco. Unde homo sic existens non est quantus, quia non habet partem extra partem.

Et, si dicatur quod tunc esset monstrum, quia non haberet caput figuratum nec aliquam aliam partem dispositam secundum naturam, dico quod vocando illud monstrum quod contingit sive evenit preter aut contra communem cursum nature, sic concedo quod illud est monstrum, quia secundum naturam quelibet substantia materialis habet in se accidentia ratione quorum dicitur res naturalis, quia ratione accidentium habet motum naturalem et quietem naturalem. Ideo, si homo esset denudatus ab omnibus accidentibus, ille homo non esset homo phisicus sed esset homo mere metaphisicus et talis numquam invenitur in natura. Posset tamen per miraculum et potentiam divinam talis inveniri. Omnia autem dicta communiter de homine et de huiusmodi rebus naturalibus dicuntur de eis secundum quod sunt res naturales et ille homo metaphisicus non intelligeret per species adquisitas ex sensibus, cum non haberet organa sensuum, sed per species a Deo impressas vel notificatas quomodo angeli intelligunt secundum quosdam nec esset ille homo corruptibilis nec mortalis naturaliter, cum non habeat qualitates quibus alia sunt contraria.

Ad confirmationem, cum dicitur quod spoliatus ab omnibus accidentibus esset quoddam totum quia haberet partes et omne totum est maius sua parte et per consequens esset quantum, dicendum quod omne totum est maius sua parte entitative, quia includit maiorem enti-

tatem quam sua pars. Non tamen oportet quod omne totum sit maius sua parte quantitative sed hoc solum est verum de toto quantitativo seu de quanto. Et, cum dicitur quod, si totum est maius, ergo est quantum, dico quod non sequitur sed est fallacia consequentis, quia omne totum est maius sed non econverso. Nam maius entitative, quod non est quantum, est maius et tamen non est quantum[38], ut patet ex composito[39] ex intellectu et intellectibus existentibus in intellectu[40].

Dubitatur circa qualitates extensas que sunt extense ad extensionem quantitatis utrum color extendatur ad extensionem corporis secundum longum, latum et profundum aut ad extensionem superficiei tantum. Et videtur quod extenditur ad extensionem superficiei tantum[41]. Nam secundum Philosophum in *Predicamentis*[42] tanta est albedo quanta est superficies. Ergo albedo extenditur ad extensionem superficiei tantum.

Dicendum quod, quia qualitates prime, scilicet, caliditas, frigiditas, siccitas et humiditas extenduntur ad extensionem corporis secundum longum, latum et profundum, ideo qualitates secunde, que causantur ex mixtione qualitatum primarum, extenduntur ad extensionem corporis secundum longum, latum et profundum, cuiusmodi sunt colores, sapores et alie qualitates sensibiles[43]. Quod autem qualitates prime non habent esse in superficie tantum sed maius in profundo, patet, quia aliter contraria in summo possent esse simul adequate, quod est impossibile. Probo quod hoc sequitur, quia possibile est quod corpus summe calidum et corpus summe frigidum tangunt se. Tunc superficies corporum, secundum quas se tangunt, sunt simul adequate, quia tangentia sunt quorum ultima sunt simul secundum Philosophum quinto *Phisicorum*[44]. Si ergo calor et frigiditas essent in superficie, sequitur quod calor in summo et frigiditas in summo stant simul, quia subiecta sunt adequata, scilicet, superficies corporum se tangentium sunt simul.

Idem argumentum potest fieri de colore. Accipiamus duo corpora quorum unum sit summe album et aliud summe nigrum que tangunt se. Tunc ultima, scilicet, superficies secundum quas se tangunt, sunt

---

[38] et tamen non est quantum, *om.* B.

[39] B breaks off here. It will be noted later when the text of B resumes.

[40] et intellectibus ... intellectu, *om.* Vb.

[41] et videtur ... tantum, *om.* Va.

[42] 5b2.

[43] cuiusmodi sunt ... sensibiles, *om.* Vb.

[44] 226b23.

simul. Ergo, si color sit in superficie, illi colores, scilicet, albedo in summo et nigredo in summo, essent simul, quod est impossibile, quia impossibile est contraria in summo esse simul. Item, accipiamus liquorem coloratum transparentem, cuiusmodi est vinum rubeum clarum. Illud vinum videtur in profundo et non videtur nisi per colorem quem habet. Ergo habet colorem in profundo.

Sed dubium est an color aliquis sit in superficie, ita quod solum extendatur ad extensionem superficiei. Didendum quod non. Immo omnis color extenditur secundum longum, latum et profundum, quod patet per rationes prius factas, scilicet, quod tunc contraria in summo essent simul. Et potest hoc aliter probari sic. Accipiamus unum corpus continuum cuius una medietas est alba et alia nigra. In medio illius corporis est una superficies continuans illas partes adinvicem, scilicet, partem albedinam et partem nigredinam. Si ergo illa superficies esset alba vel nigra, qua ratione esset alba eadem ratione esset nigra, cum equaliter est medium inter album et nigrum. Cum igitur non posset esse simul album et nigrum, sequitur quod nec est album nec nigrum. Si ergo apparet quod color habet esse in corpore et extenditur ad extensionem corporis et quod nullus color habet esse in superficie tantum. Sed, sicut superficies est terminus corporis, ita est terminus coloris. Ad dictum Aristotelis, cum dicit: quanta est superficies tanta est albedo, dicendum quod quanta est superficies secundum latitudinem tanta est albedo secundum latitudinem et quantum est corpus album tanta est albedo secundum profunditatem. Unde, concedo quod albedo est longa, lata et profunda, sicut est corpus et tamen nulla albedo est solum longa aut solum lata et ideo nulla est in superficie tamquam in subiecto adequato.

Alia auctoritas Aristotelis in libro *De Sensu et Sensato*[45] videtur esse contra istam opinionem qui describendo colorem dicit quod color est extremitas perspicui in corpore terminato et glossatur sic, id est, color est in extremitate perspicui corporis terminati. Sed extremitas corporis seu perspicui est superficies. Ergo color est in superficie. Dicendum quod color dicitur extremitas perspicui, quia apparet secundum extremitatem et non apparet secundum profundum nec propter hoc dico quod extremitas corporis videtur sed est illud secundum quod color videtur et etiam corpus coloratum.

---

[45] 439b11.

Sed adhuc sunt dubia, quia ponatur corpus album in tinctura rubea. Idem corpus album fit rubeum et tamen rubedo non attingit profundum corporis albi sed solam superficiem corporis albi. Ergo rubedo adquisita per tincturam est in sola superficie. Istud confirmatur. Nam rubedo tincture est subiective in tinctura, intelligendo per tincturam corpus tingens. Si ergo rubedo tincture intret profundum corporis quod tingitur, oporteret quod corpus tingens ingrederetur corpus quod tingitur et sic duo corpora essent simul, quod est impossibile.

Dicendum quod corpus album tinctum tinctura rubea potest tingi et denominari rubeum dupliciter: aut per appositionem partium corporis tingentis super corpus tinctum, alio modo per veram alterationem. Verbi gratia: si corpus tingens sit multum calidum, tunc potest alterare corpus album positum in eo inducendo novam rubedinem in corpore albo et expellendo albedinem, sicut ignis approximatus aque frigide expellit et destruit frigiditatem aque et inducit novam caliditatem in aqua, que quidem caliditas eadem numero, licet secundum speciem, numquam prefuit in igne, quia nullum accidens manens unum et idem migrat a subiecto in subiectum. Dico igitur quod, si corpus album, ut lana, tingitur solum per suppositionem corporis rubei super corpus album, ut patet in albo male tincto qui faciliter mutat colorem tincture in talibus, dico quod color tincture non attingit profundum corporis tincti sed solum attingit ad superficiem corporis tincti et tota rubedo habet esse in tinctura et non in superficie nec in profundo corporis tincti. Sed, si corpus tinctum fiat rubeum per veram alterationem corporis tingentis, tunc rubedo nova causatur in profundo corporis tincti et expellitur albedo et in aliquibus fit utrumque[46], ita quod corpus tinctum et recipit rubedinem in profundo et etiam appositionem corporis rubei, scilicet, aliquam partem tincture super ipsum et hoc fit aut semper aut sepe, quando unum corpus tingitur ab alio.

Exemplum de illa alteratione corporis a corpore secundum colorem potest poni in aliis secundum saporem. Si enim aqua infundatur multo vino, vinum aut alterat illam aquam ad saporem vini aut corrumpit illam aquam in vinum, quia non est possibilis quod aqua et vinum misceantur adinvicem secundum se tota, quia sic duo corpora essent simul adequate et ideo, si vinum et aqua ponantur adinvicem, aut vinum corrumpet aliud aut vinum transmutabit reliquum in naturam suam. Et, si dicatur quod vinum et aqua possunt misceri adinvicem manente

---

[46] tincti et ... utrumque, *om.* Vb.

natura utriusque, tunc igitur quelibet pars mixti sit mixta undique in illo mixto et tam aqua quam vinum et ita aqua et vinum erunt simul in eodem loco adequato, dicendum quod quedam est mixtio per mixtam positionem, sicut dicimus aliquod bladum esse mixtum ex frumento et siligine vel ut dicimus boves et equos esse mixtos in campo. Et in illa mixtione que est per mixtam positionem non est verum quod quelibet pars mixti est mixta. Non enim est unum granum frumenti mixtum ex frumento et siligine et hec mixtio per mixtam positionem vocatur mixtio secundum partem. Alia est mixtio secundum totum quomodo albedo et dulcedo miscentur adinvicem in lacte et in tali mixtione est verum quod quelibet pars mixti est mixta. Nam sic intelligendo quod partes mixti adinvicem sunt mixte, ita quod dulcedo non sit mixta ex dulcedine et albedine nec econverso albedo non sit mixta ex albedine et dulcedine. Sed quelibet pars totius aggregati ex miscibilibus, hoc est, quelibet pars quantitativa totius mixti est mixta. Primo modo est possibile quod vinum et aqua misceantur adinvicem manente natura utriusque, scilicet, per mixtam positionem et, dummodo substantia utriusque manet, non miscentur alio modo adinvicem. Per motum tamen et agitationem fiet mixtio secundum minores et minores partes, ita quod erit mixtio positionum minorum utriusque mixti seinvicem.

Sed adhuc est dubium. Ponamus quod lana alba intingatur rubeo colore per suppositionem coloris rubei, non per alterationem, utrum lana debeat dici alba vel rubea.

Dicendum quod aliquid potest dici album vel rubeum dupliciter: vel a denominatione extrinseca vel a denominatione intrinseca. Et est denominatio extrinseca[47] quando aliquid denominatur a forma que non est in eo. Et sic agens denominatur ab actione que est in alio et non in eo, quia actio est in passivo subiective et petra denominatur visa a visione que non est in ea sed in vidente et opus factum a homine dicitur humanum non ab humanitate que est in eo sed ab humanitate que est in homine. Denominatio vero intrinseca est quando aliquid denominatur a forma que est realiter et subiective in eo et sic intellectus dicitur intelligens ab intellectione que est in eo et lac dicitur album ab albedine que est in eo. Cum igitur queritur an lana tincta per appositionem vel suppositionem corporis rubei debeat dici alba vel rubea, dicendum est distinguendo penes secundum modum equivocationis ex eo quod aliquid potest dici album dupliciter: vel denominatione intrinseca et illud

[47] vel a denominatione intrinseca ... extrinseca, *om.* Vb.

proprie dicitur album vel denominatione extrinseca et illud dicitur esse album improprie et solum ex usu loquendi. Dico ergo quod illa lana tincta est alba in uno sensu, scilicet, accipiendo album secundum quod est denominativum denominatione intrinseca et similiter hec est vera „lana est rubea" secundum quod rubeum est denominativum denominatione extrinseca. Et ita accipiendo album et rubeum diversimode habet ly oratio aliquem sensum verum „album est rubeum," quia album denominatione intrinseca; est rubeum denominatione extrinseca. Et sic etiam potest concedi aliquo sensu „album est nigrum," ut patet de lana tincta in caustico. Sub aliis verbis posset concedi quod aliquid potest dici album et nigrum per colorem proprium vel per colorem alienum et reddit in idem. De colore proprio manifestum est. De colore alieno patet in exemplo. Nam, si ethiops esset monachus albus, diceretur monachus albus non propter colorem proprium sed propter colorem habitus. Et sic nigrus dicitur albus propter colorem pennarum que penne non sunt de substantia nigri et sic nigrus dicitur albus per colorem alienum et denominatione extrinseca, cum tamen corpus suum sit nigrum.

Et sciendum quod superficies nec est alba nec nigra nec aliquo colore colorata, quia nullus color est subiective in[48] superficie sed in corpore. Unde omnis color extenditur in corpore secundum longum, latum et profundum, sicut autem qualitates prime[49], ut dictum est supra.

Sciendum etiam quod linea non componitur ex punctis nec est punctum immediatum puncto in linea continua nec est linea immediata linee in superficie continua nec est superficies immediata superficiei in corpore continuo. Sed, sicut inter omnia duo puncta in linea cadit linea media, ita inter quascumque lineas in superficie cadit superficies media et[50] inter quascumque superficies in corpore cadit corpus medium et hoc protrahendo lineas et superficies et situando unam iuxta aliam ex ea parte qua sunt indivisibiles ut situando lineam iuxta lineam secundum latitudinem et superficiem iuxta superficiem secundum profunditatem.

Unde breviter, impossibile est quod in aliquo continuo sit aliquod indivisibile immediatum indivisibili ex ea parte qua utrumque est indivisibile.

---

[48] the text of B. resumes here.

[49] et qualitas per se, B.

[50] inter quascumque lineas ... et, *om.* B.

Contra. Si dividitur corpus in duas medietates, erunt due superficies in actu, una in una medietate et alia in alia medietate et hoc ex illa parte illarum partium qua continuabantur adinvicem. Ergo prius erant due superficies in potentia immediate. Dicendum quod in quocumque corpore continuo inter quascumque partes continuates adinvicem est una superficies continuativa illarum partium adinvicem et illa est in actu actualitate presentie et in potentia ad actum separationis secundum ymaginationem, non secundum esse, quia illa numquam potest terminare in actu aliquam illarum partium separatam ab alia. Si enim dividatur corpus, fiunt de novo due superficies in actu que prius non erant terminantes illas duas medietates ex illa parte qua fiebat divisio et tunc corrumpitur illa superficies que prius continuavit partes corporis adinvicem.

Et cum dicitur quod secundum hoc ille due superficies prius erant in potentia in corpore et fuerant immediate, cum nihil erat medium, dicendum quod ille due superficies prius erant in potentia ad existendum actu sed non fuerant prius nec habebant esse existentie in corpore nec fuerant in potentia eo modo quo superficies continuans partes corporis adinvicem dicitur esse inpotentia ad actum terminationis secundum ymaginationem, quia illa superficies continuans existit in actu in corpore actualitate existentie et ille due superficies causate per divisionem non existebant ante divisionem[51].

Eodem modo est de linea, scilicet, quod in superficie continua non est linea immediata linee ex ea parte qua sunt indivisibiles. Et, si dividatur superficies, fiunt due linee in actu que prius non existebant et fuerant prius in potentia ad existere. Et non est sic de linea continuante partes superficiei adinvicem, quia illa existit actu actualitate existentie.

Et eodem modo est de puncto, scilicet, quod in linea continua non est punctum immediatum puncto. Et, si dividatur linea, corrumpitur punctum[52] quod prius continuavit partes linee que dividuntur abinvicem et fiunt duo puncta in actu de novo que prius non[53] existebant. Intelligendum est quod punctum continuans partes linee adinvicem dicitur in potentia ad actum terminationis sed hec potentia non est vera sed ymaginativa tantum, quia illud punctum, quod continuavit partes linee adinvicem, numquam potest terminare aliquam partem

---

[51] ille due superficies ... divisionem, *om.* Vb.

[52] corrumpitur punctum, *om.* Vb.

[53] non, *om.* Va and Vb.

linee, quia, si fiat divisio, corrumpitur illud punctum. Ymaginari tamen potest quod illud idem punctum maneat post divisionem in una parte vel quod dividatur in duas partes et quod una pars terminet unam partem linee divise et alia pars aliam.

Sciendum igitur secundum Philosophum nono *Metaphisice*[54] quod potentia prima divisione sui dividitur in potentiam veram et potentiam ymaginativam. Potentia ymaginativa est potentia que ymaginatur in mathematicis, ut quod possibile sit aliquod corpus esse maius celo et aliqua linea recta maior diametrico mundi et quod punctum est in potentia ad causandum lineam per suum fluxum vel cursum. Ista enim potentia et alia multa huiusmodi non sunt vere potentie sed ymaginative solum. Potentia vera dividitur in potentiam respectivam et absolutam et utraque illarum dividitur, ut visum est supra in divisione potentie.

Intelligendum est quod intentio rei, ut communiter accipitur prout est communis ad intentionem in medio et ad intentiones in sensu et intellectu, potest sic describi: intentio est similitudo rei representans rem naturaliter et non directe representata potentie cognoscenti rem per illam. Ex hac descriptione apparet quod intentio sive species non est directe cognita et tamen ducit in cognitionem rei cuius est intentio. Et sic non est hec propositio universaliter vera „nihil cognoscitur per incognitum." Similiter nec illa „ignotum non inducit in cognitionem alicuius." Similiter nec illa „unumquodque per quod aliquid est notum est notius illo." Immo hec propositiones habent instantiam in representativis naturalibus. Per tale enim representativum res est cognita et idem representativum incognitum. Omne tamen illud per quod aliquid est cognitum discursive est eque notum vel notius illo quod cognoscitur per ipsum.

Ex hiis patet quod sensus cognoscit sensibile per speciem vel intentionem sensibilem que non est nota sensui et intellectus cognoscit rem per intentionem rei existentem in intellectu que intentio non est directe cognita ab intellectu, et cetera[55].

EXPLICIT TRACTATUS BURLEY DE FORMIS ET INCIPIT TRACTATUS SUPER LIBRUM ELECORUM[56].

---

[54] 1046a5–7.

[55] et cetera, *om.* L and Vb; ita est finis, B.

[56] Explicit Burleus de fformis, Vb; Dieu gard .h. ffrank, Explicit de fformis, Va; Explicit bonus tractatus qui dicitur tractatus de formis secundum Burleum, B.

ISBN 3 7696 9004 4